

DE
UTERI PUTRESCENTIA.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU AMPLISSIMI MEDICORUM
ORDINIS

IN

UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM
DORPATENSIS,

PRO GRADU

DOCTORIS MEDICINAE

RITE IMPETRANDO,

LOCO CONSUETO PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ALEXIUS FRIEDERICUS TEMPLER,

LIVONUS.

Non ergo sequor priores? Facio, sed permitto mihi
et invenire aliquid, et mutare, et relinquere.

SENECA.

DORPATI LIVONORUM

TYPIS J. C. SCHÜNMANNI, TYPOGRAPHI ACADEMICI,

MDCCCXXVI.



Imprimatur.

ea tamen conditione, ut, simulac typis excusa fuerit haec
dissertatio, septem exemplaria collegio, cui censura libro-
rum mandata est, tradantur.

Dorpati Livonor. d. ix. mens. Jun. MDCCCXXVI.

Dr. Martinus Ernestus Styx,
h. t. Decanus.

116710

Lectori humanissimo salutem plurimam!

Hisce pagellis acceptis, opusculo huicce primos in-
jiciens vultus, cave, quaeso, lector benevole, ne blan-
dientibus incepti nostri erigaris expectationibus,
novasque aut inauditas experientiae divitias collectas
esse putes! — Semper enim taedet, si animus sus-
pensus decipitur! — Itaque, si ulla te praejudica-
ta imbutum optaverimus opinione, tum ea sis veli-
mus: tironem in medicina difficillimam fere hujus
disciplinae partem haud aptius unquam, quam colli-
gendis et utcumque dijudicandis peritissimorum me-
dicorum praeceptis atque sententiis; propriis vero
opinionibus, parum fortasse idoneis, dubitanter ad-
jungendis, sapientiorumque judicio modeste permit-
tendis, potuisse tractare. Pauca quidem esse, quae
tibi obtulerimus, non ignoro. Sed juvenem, cursu
academico nuperrime relicto, semper invenias his
ingenii finibus circumscriptum. Ut aliorum senten-
tias dirigat ad suam opinionem, ut verum a falso
distinguat majore audacia, ejusdem virili, immo
fortasse senili, reservatum manet aetati, ubi et per-
spicientia adultior et experientia uberior plura certe
suppeditabunt amplioraque provehent in lucem.

Quid est igitur, quod enixius a te petamus, — quid est; quod, opus propositum ingressuri, acrius occupemus, — quam tuam, lector benevole, indulgentiam? Quam quidem ipsam tot jam juvenibus, eadem nobiscum quaerentibus, in eadem nobiscum ratione versantibus, nonne benigne concessisti? — Si omnem hujus argumenti copiam non plane complexi fuerimus, si hocce specimen in multis rebus non respondeat optatis tuis, proverbium: „ut desint vires, tamen est laudanda voluntas“ nos tetum reconciliet! —

Prooemium.

Quamvis non sit, qui dubitet, quin prosperior ars nostrae aetatis medica in dies gaudeat progressu, certioribusque vel mediocriter quilibet in ea versatus jam utatur rationibus, nec curandis in morbis vana sequatur opinionum commenta, sed firmis experientiae insistat vestigiis, rationisque exploratiora jam inde sint hausta judicia; nihilo tamen minus ingenue erit fatendum, immensam vitiorum, humanae naturae insitorum, exstare catervam, quae alta adhuc prematur caligine, eamque ipsam ob causam medicos singula duntaxat symptomata posse aggredi, ab interna scilicet tollenda morbi causa, quippe penitus occulta, abstinere. — Sin autem naturam, quasi velis obtentam, ex parte nondum detexerunt majores nostri, (etsi fuerunt peracuti ad excogitandum, quid verum esset, nec ne) nostrum est, pro virili parte coeptum perficere, quia extrema manus operi nondum accessit. Auctoris illius sententia: „naturae mysteria mortalis enunciat nunquam“ neminem deterreat! Nonne ante multa annorum mil-

lia res fuerint nonnullae secretae, quae nunc plane perspicuae sunt ac manifestae? — Etsi frustra sunt permulta hominis incepta, etsi nunquam ad summa pervenit, tamen propius semper ad finem accedit exoptatum. — Ita summae sapientiae voluntati respondere potest mortalis!

Quae cum ita sint, cuique medico, vel tironi, eo optabilius sit argumentum, necesse est, quo rarior minusque indagatus morbus, quem describendum susceperit. Primum enim, etiamsi ipse omni carebit experientia, sententia nova exponenda, morborum symptomatibus, memoriae olim proditis, aliter accipiendis et novis, nondum adhibitis remediis significandis, facillime scintillam quasi excudet, quae, licet languida, alterius tamen, magis periti arte, excitata, luculenter illustret disciplinam. Deinde iudicium vitabit, opus nil nisi colligendi diligentiam ostendere, haud contemnendam quidem illam, nec tamen tanta laude dignam, quin is, qui sua cogitata in medium proferre studuerit, cogitandi sollertiam suam viris doctis probari malit.

Jam diu igitur inter academicum meum cursum prospectavi, ecquae materia appareret. Apparuerunt etiam multae, semper vero extra fines angustiores dissertationis inauguralis egredientes. Tandem aliquando in nosocomii nostri instituto obstetricio putrescentia uteri, quae incidit, votis respondebat meis. Quod quidem argumentum a praestantissimo quoque praecceptore meo, prof. Deutsch, probatum, non mutavi, opusculumque hocce meum publico iudicio humanissimo nunc subijcio.

In systemate feminarum sexuali uterus organum est peculiare, quo femina summum naturae mulieris ascendit gradum, h. e., quo ad functionem stirpis propagandae pervenit. Nam adultum corpus femininum non sola menstruatione, non solo concubitu est contentum, sed etiam generationem partus requirit. Quodsi per coitum foecundum mulier gravis redditur, in utero excitantur vires prius latentes, ita ut viscus velut novam incipiat vitam. Su-

per sua illa materies corporis feminei, hucusque in secretionem catameniorum impensa, plane nunc ad nutritionem foecundati ovuli, ergo ad uterum se convertit, cujus parietes crassitie augentur, cujus parenchyma rarescit, qui denique toto ambitu suo major vasisque sanguinem adducentibus et revelentibus locupletior fit, ut tenacissimum matris cum foetu vinculum nectere queat. — Sub finem vero graviditatis, foetu perfectionem necessariam sine matre vivendi consecuto, uterus priora officia, usque adhuc fideliter expleta, sensim foetui incipit negare. Intimum tollitur vinculum inter ambos; irritabilitas in utero accumulatur, quia partem illam ei destinatam amisit; ovulum autem, tamquam res aliena, vi sua uterum irritandi hujus intractabilitatem mechanica quadam ratione afficit idemque ab hoc vicissim afficitur, ita quidem, ut ex hac mutua affectione contractio uteri oriatur, qua foetus e conceptaculo suo expellitur. — Ecce parturientis labores, qui desistunt, si et foetus ipse et velamenta ejus atque organa nutritientia ab uteri cavo sunt exclusa! — Exclusionem foetus et secundinarum peracta uteri irritabilitas est exhausta. Uterus, magno labore defatigatus, jam tranquillitatem aucupatur (ita ut quodque organon post magnam virium deminutionem) ideoque in puerperium transit et lactis secretionem mammis quasi mandat negotium suum, quae quidem superfluum mulieris vim alendi nunc incipiunt consumere.

Ut igitur corpus femineum ob diversam conformationem suam multis morbis, qui virum fugiunt, corripitur, ita etiam functiones illae muliebres, etiam naturales, gestatio, partus, puerperium et lactatio novum constituunt campum, in quo late vagari licet pathologiae, quod tamen in matre tantum accidere intelligimus. Anomaliae maximi momenti sese ostendunt, ubi latens quasi inimicus per totam fortasse graviditatem et partum iram celat suam, posteaque in puerperio demum organismum perdit.

Cui generi naturae muliebri vitiorum jure ac

merito malum, confestim a me accuratius definiendum, adscribere possumus. Sine dubio enim uteri putrescentia inter gravissimos periculosissimosque morbos systematis feminarum sexualis est referenda, eosque, — ut rem distinctius explicem — quibus partu peracto in puerperio mulier est obnoxia, quia tum demum malum perspicue apparet, quod quidem, quamvis ultimis jam gestationis mensibus primis veluti lincis a natura designatum, vel peritissimum vix ac ne vix quidem antea suspicari potest. Morbus ita in magno jamjam ponitur discrimine ab aliis, non plane dissimilibus, uteri morbis, qui hocce in organum quovis tempore, quavis aetate, licet non sit gravidum, cadere possunt. —

Non dubito, quin morbus antiquissimam habeat originem, talemque, ut verbis clariss. Boerii utar, qualem plurima valetudinis vitia. Minime igitur hocce malum luxuria et cultura abundante nostrae aetatis ortum mihi videntur. Quod autem nihilo minus abhinc annis circiter quindecim magnum hocce malum primum est cognitum, — cujus inventi Boerio, viro experientissimo gratiam habemus, — id inde, ni fallor, explicari potest, primum, quod magna uteri vitalitas inter graviditatem effecerit, ut illam vitam validam subito evanescere posse prorsus incredibile medicis videretur, etsi similia in organis laxioribus, minusque sanguine abundantibus, interdum accidere nosset; deinde, quod per inflammationis theoriam, nuperrimis praecipue temporibus justo latius serpentem, plurimi medici inflammationem sibi visi sint animadvertere, quae nulla esset, aut etiam, si quis esset uteri sphacelus, hunc continuo e metriide profectum putaverint; tum quod subtilis quaedam immutabilisque diagnosi, normam certam in posterum formans, partim ob magnas mali periculosi latebras, antequam exardescat (ubi tamen unice adhuc ars restituit sanitatem), partim ob magnam symptomatum copiam morbi semper fere tam complicati, imperfecta permanserit; denique quod sectio-

nes in puerperio mortuarum, — quae quidem omnino omnibus in morbis incertis priores duntaxat confirmant opiniones — paucis tantum contigerint medicis practicis.

Nihilo tamen secius perscrutationem diligentiorum haud neglexi, num forte vel minimum vestigium hujus morbi superioribus jam temporibus invenirem. Sed nequidquam. Nonnullae morborum historiae, ceteroqui materiam, si spectes, minoris momenti, in Roussetii Hysterotomotacia et in Ephemer. nat. cur. Dec. I. Ann. VIII. mentionem faciunt aegrotarum, quarum uterus, inflammatione plus vel minus aperta antecedente neque partu peracto, supervaverit et foetus demum aut per sectionem caesaream, aut, utero eroso, jamjam in abdominis cavum prolapsus, per gastrotomiam fuerit amotus. Quae omnia, sub nomine uteri putrescentiae illic prolata, immane quantum ab uteri putrescentia claris. Boerii differunt. — Hippocratis etiam tempora ac Galeni repetenti mihi, illis jam temporibus malum hocce fuisse cognitum, nihil significare potuit.

Litterarum de hoc morbo monumenta, quae perlegi partimque etiam in rem converti meam, haecce fere sunt: 1) Boers Geburtshülfe, 2ter Theil, Wien, 1817; quod quidem opus fundamentum praebet omnibus sequentibus, quia vir ille honoratissimus prima de hoc morbo fecit verba; 2) Jörgs Schriften zur Beförderung der Kenntniss des Weibes und Kindes, 2ter Theil Leipz. 1818 und desselben Handbuch über die Krankheiten des Weibes, 2te Auflage, Leipz. 1821; 3) Wenzel über die Krankheiten des Uterus, Mainz, 1816; 4, Locheri diss. inaug. de putresc. uteri, Berolini, MDCCCXIX, quae tamen brevem tantum simulque imperfectam repetitionem verborum cl. Boerii, Jörgii et Wenzelii continet. — Schmidtmüllers Handbuch der medicinischen Geburtshülfe, Zimmermanni de uteri putrescentia dissertationem, Lips. 1815 et Kaiseri dissert. de sphacelo uteri gravidi, quae Jenae prodit, non vidi. — In Horas

Archiv für medicin. Erfahrung, Jahrgang 1822, relatio obductionis uteri cujusdam putrefacti a Rombergio doctore Berolinensi facta, valde mihi placuit.

Praeterea non pauca eximia mihi suppeditavit insignis experientia praeceptoris mei, maxime venerandi, prof. Deutsch, itemque amici cujusdam mei honoratissimi benevolentia, qui ipse, duce cel. Boerio, saepe hunc morbum observavit.

Duas constitui opusculi mei partes, quarum altera morbi historiam, a me ipso in instituto obstetricio observati, continet, altera, in partem pathologicam et therapeuticam divisa, ipsum morbi genus persequitur. Ad brevitatem tenuitatemque secundae facilius excusandam, lector humanissimus velut primae epicrisineam judicet, velim!

Sectio I.

Historia aegrotantis putrescentia uteri emortuae.

Anno MDCCCXXIII die XXII. Novemb. ancilla quaedam, nomine Catharina, vicesimum aetatis annum agens, innupta, primum gravida, corpore brevi et infirmo, constitutione phlegmatica, facieque pallida, ad scholam accessit clinicam. Annos duodeviginti nata primum, ut ipsa aiebat, menstruaverat et catamenia quatuor semper vel quinque dies perdurantia singulo mense redierunt. Nec quo concepisset diem, nec de aestumatione temporum in graviditate aliquid indicare poterat. Externa exploratione obstetricia instituta haec cognoscebantur: ossa ilium propius adstabant, pelvis parva et admodum inclinata ejusque conjunctio cum vertebrae lumbalibus satis directa; paries pelvis anterior posteriori minime congruens; abdomen aequabiliter extensum et palmae latitudine ultra umbilicum surgebat, qui in speciem coni propulsum erat. Exploratio interna sequentia patefecit: vagina angusta erat adeoque densa, ut paries vaginae posterior explorationem

impediret. Portio vaginalis altissima, orificium, ovata figura, digito sursum porrecto, vix superiore symphiseos margine attingi nec ulla infantis pars tactu distingui poterat.

Sequentium explorationum, quae singulis hebdomadibus instituebantur, animadversiones cum prioribus re ipsa haud discrepabant. Abdomen magis magisque pedetentim tendebatur, portio vaginalis demittebatur, orificiumque melius jam tactu percipi poterat. — Die IX Martis anno MDCCCXXIV prima nocte dolores ad partum apparebant et exploratione externa denuo suscepta abdomen valde extensum, duas etiam foetus partes, altera supra ad dextrum, altera vero infra ad sinistrum latus percipi potuerunt. Vagina sub interna exploratione angustissima ad partum minime instructa, portio vaginalis praealta ad symphisi ossium pubis apparebat. Foetus pars, quae projaceret, nulla inveniebatur. Parvae uteri contractiones magnis intervallis per totam noctem permanebant. Postero mane portio vaginalis propius ad axem pelvis accesserat. Digito, commode in orificium immisso ovi membranas minime extensas nec ullam infantis partem sentiebamus. Dolores ad partum breves quidem et leves, in parvis intervallis peracerbi redibant. Balneo vero calido adhibito fiebat ut dolores crescerent et ovi membranae extenderentur. Sed doloribus quippiam remissis et illae relaxabantur. Nulla foetus pars hucusque attingi poterat. Cum vero propter obliquum infantis situm parturientem in laevum latus jacere jusserimus, paullo post foetus, priori situ relicto, axem longitudinalem materni corporis obsequabatur. Sub vesperum dolores vehementissimi, sine intermissione perdurabant et ovi membranae, per orificium, tres digitos transversos apertum, eminentes, semper erant extensae. Clisma antispasticum ex infuso Valerianae, quod inanes et gravissimos quidem dolores leniret et aegrotam ex diutino labore otiosam redderet, adhibebatur;

vaginae vero spongia, in absudum seminis lini, herb. Malyae et flor. Chamomillae mersa, proponatur; praeterea pulvis e rad. Ipecacuan gr. β ; Opii puri gr. j; Nitr. depur. Tart. vitriol. aa gr. xv. praebatur. Attamen omnibus hisce medicamentis frustra adhibitis, aegrotans insomnem noctem gravissimis doloribus affecta, agebat. — Altero vero die, cum magna copia liquoris amnii adesse videretur, ovi membranae densissimae essent, nec ulla adhuc infantis pars in pelvi apparebat, hora octava membranae dirumpebantur. Quo facto, quum dolores mitigarentur, caput infantis in pelvis introitu apparebat, cujus situs, quamvis os bregmatis praecipue videbatur, certe tamen non poterat indicari. Pulv. Doveri et infus. Valerianae cum herb. Melissae, quae quietem aegrotae et vires ad partum efficiendum redderent, praescribebantur. Tertia hora post meridiem caput infantis tardissime et non sine magnis doloribus descendens, situm altiore occupaverat. Capitis tumor per vaginam ad dextrum eminent, hora praeterlapsa, post labia nondum aperta, tactu percipiebatur. Aegrotans mox in lecto parturientium posita, caput infantis, quamvis dolores vehementissimi erant, ne aliquantulum quidem procedebat. Hora septima vero vespertina, parturientem, doloribus subito cessis, desumma lassitudine et torpore inferiorum extremitatum quaequam, in priorem lectum reduximus, ut ex diuturnis laboribus quieti se daret, sperantes fore, ut aegrotans, somno vincata, vires ad partum ejiciendum colligeret. Quae quidem spes omnino nos fefellit; ardentem enim uteri dolorem, qui praecipue in regione symphiseos ossium pubis sentiebatur, a prioribus omnino differentes, aegrotans quiescere non patiebatur. Cum vero, parturiente denuo diligentissime explorata, comprehendissemus, illam per horas octo urinam non misisse, quamvis saepissime potum sumserat lotiumque reddere tentaverat, praeterea, quum vesicae regio inflata appareret et tactu dolores cicerentur, nihil erat, quod artificialem

lotii evacuationem differremus. Applicatio catheteris autem frustra erat, quia caput infantis adeo symphisei ossium pubis obsistebat, ut instrumentum in vesicam induci nequiret.

Profess. Deutschius, instituti antistes, morbo prohibitus, quominus ipse hoc in dubio et periculoso momento adesset, de omnibus hisce rebus certior factus, partum artificialem incipere jubebat. Itaque Dr. Baumann, illo tempore adjutor instituti obstetricii, secunda noctis hora, lecto parturientium ad operationem parato, Boerii forcipe utebatur. — Cochleariis immisis, liquor amnii, odorem foedum spargens, haud copiose effluebat, sed caput, cum uterus ne minime quidem juvaret, situm suum firme tenebat. Omnibus hisce frustra expertis forceps Siboldi tandem, haud multo post meliorem eventum adhibebatur. Tractionibus iterum atque iterum renovatis caput demum prodit et ita quidem, ut occiput sub arcu ossium pubis locum obtineret suum, facies vero perinaeum, rite sustentatum, transiret. Thorax praeter opinionem haud facilius erat eductus. Cum enim os, capite educto, ad dexterum femur se convertisset, ita ut dexter infantis humerus sub pelvis arcum, sinister autem supra os sacrum pervenisset, tamen foetus modicis capitis tractionibus non poterat educi. Laevum igitur brachium hamo obtuso protraheretur, sed dextrum post multum laborem et sudorem, hamo circum axillam ducto, quum tractions frequenter deorsum et in utrumque latus nihil efficerent, pertinaciter resistebat. Deinde ex mandato professoris Deutschii injectiones Chamomillae cum vino adusto instituebantur. Ex ejusdem praescripto postea periculum cum hamo obtuso, ab abdominis latere immisso, renovandum demumque ad paracenthesin thoracis, tamquam ultimum refugium, erat aggrediendum.

Subito vero, injectionibus saepius adhibitis et unco iterum jam admoto humerus ultro moveri incipere et, adtrahendo mox eductus, operationi per-

difficili imponebat finem, quum totum corpus statim sequeretur. Placentae adhuc affixae solutione abstinerebatur, ne haemorrhagia periculosa, utero exhausto atque relaxato, oriretur. Catheterem, qui nunc etiam non induci poterat, misimus, quia festinandum erat, ut puerpera quieti se daret. Inter totam operationem aegrotata de nihilo nisi de spasmo extremitatum inferiorum, praecipueque dextrae, conques-ta est, qui quidem forti manus frictione mox mitigatus. Liq. Aëd. intrinsecus guttatim praebebatur et mixtura e liq. Ammon. caust. et spir. camph. infri-cabatur abdomini, doloribus paullulum affecto. — Puerpera tunc eluta et e parturientium lecto in pri-orem reducta, cataplasma tepidum inferiori abdo-minis parti applicatum. — Cum jam motus foetus in ultimis 36 horis deficientes, foetus capitis para-gomphosis, partus artificialis tam laboriosus et cor-pus denique infantis omnino laxum satis superque infantem mortuum esse declararent, vitam ei redde-re frustra tentassemus. Ponderis decem librarum et longitudo duodeviginti digitorum erat; diameter capitis transversus tres ferme digitos habebat, lon-gus quatuor et semis, diagonalis vero quinque. Secundinae non apparuerunt. Puerpera noctem in-somnem, tamen sine doloribus agebat. Postero mane torpor universalis auctus videbatur. Uterus minime contractus, veluti saccus laxus per tegumenta externa percipiebatur. Sanguinis loco latex quidam nigri-cans et foetidus e vagina haud copiose manabat. Mammas, quae turgescabant, lac inerat. Pulsus accel-eratus (centum et viginti ictus quoque minuto) vix distingui digitoque omnino comprimi potuit. Aegrotata siti magna cruciata, cibum non assumebat tantumque de molesto uteri dolore querebatur. Prae-scribatur: Clyster ex infuso Valer.; balneum te-pidum, ut, quantum fieri posset, cutis actio augetur; sinapismus porro in pectus, qui tamen per sex horas nullam exercebat vim; mixtura vero haecce: R. Rad. Angel. rad. Valerian. aa inf. c. aq. q. s. ad

colat. ℥vi; adde Champhorae ℞B (in mucil. gum. Arab. sol.) Acet. vini ℥i. MDS. Omni bihorio cochlear cibarium sumatur; praeterea etiam pulveres ex moscho gr. ij, quorum vero unum et de mixtura tantum cochlearia duo sumserat, quum jam morti placidae quarta hora pomeridie succumberet. Ad fi-nem usque vitae mentis suae plane erat compos.

Die XIII Martis sectione facta sequentia in ad-spectum veniebant: In cavo abdominali satis magna fluidi serosi copia, ab inflammatione peritonaei for-san exorta, in toto vero tractu intestinali et omnibus organis chilopoeticis nullae abnormitates invenie-bantur. Tractu intestinali, quo melius uterus spec-taretur, exciso, vesicam urinariam non impletam reperiebamus, quia lotium, partu extracto, una cum liquore amnii forte effluxerat. Ovaria emollita granosaeque erant et aequae ac tubae Fallopianae liga-menta quoque lata colore livido. Uterus vero maximas praebebat abnormitates; in fundi enim facie exter-na nonnulla atra erant loca, pustulis passim obsi-ta, quae liquorem ex albo flavescenscentem continebant. Uterus, quia nullae fere aderant contractiones, major erat solito, longitudo enim septem ferme et latitudo quinque continebat digitos. Utero vero posthac cum majori vaginae parte nudato et in longitudinem ad fundum usque dissecato, haec cognoscebantur: tota superficies interna, inprimis vero, ubi placenta erat affixa et segmentum uteri inferius cum vicina vagina atro et sordido quodam, quod facile abstergi poterat, integumento obducta erant. Nullum sub illo inflam-mationis vestigium comprehendimus. Parenchyma mollis, praepinguis, Intulento et rubello erat colore. Putredo in altitudinem duarum linearum interiorem substantiae partem corripuerat et incisione facta, la-tex quidam tenuis, subflavus, purulentus, qui ca-vitatibus quasi inclusus videbatur, parva in copia effluebat. Cervix uteri satis erat laxata et dissoluta; vagina, eundem, quem supra memoravi colorem li-vidum praebebat, quo putredinem etiam hucusque

serpsisse declarabatur. Pelvi omnibus carnosis partibus nudata, dimensiones sequentes reperiiebantur. Conjugata $2\frac{3}{4}$ digitos et diameter transversus $4\frac{1}{2}$ digiti. continebant. Ita etiam exitus pelvis haud nimis erat angustus et, ut paucis dicam, quaeque supra jam exposui, nunc tantum confirmabantur, nempe ossa illi magnopere erant praerupta, nec paries pelvis anterior in pelvis cavum eminens, posteriori congruebat. Cranii et thoracis cavitatem quia nec cerebri, nec pectoris organa per vitam malo urgebantur, non aperuimus.

Haecce e sectione cognita haud dubie magnam illam edendi partus difficultatem nec non mortem parturienti attulerant simulque quasi simulacrum praebebant illius morbi, quem cel. Boerius diligentissima dignum observatione nobis commendat. Putrescentiam uteri, inquam, non ex inflammatione atecedente ortam, ita ut sphacelus, qui metritidem sequitur. — Quodsi etiam color uteri parenchymatis passim subrubicundus et parva laticis puriformis copia ad inflammationem antecessam concludere jubent, certe tamen hac levi, quae esse potuit, inflammatione fieri nequibat, ut superficies uteri, interna a putredine tam dissoluta appareret. Equidem potius me persuasum habeo: Boerii putrescentiam una cum partiali inflammatione, a partu retardato certe exorta, pathologicae materiam praebuisse. Quin hic status pathologicus ab ultimo jam graviditatis tempore originem duceret suam, haud dubito, quamvis, quod saepissime occurrit, nulla certa praesto erant signa. Facies enim ante partum pallida, constitutio phlegmatica persaepe in graviditatis tempore sine putrescentia observantur. Magna virium defectio, facies collapsa in ultima tantum partus periodo in adspicuum veniebant. Dolores ad partum leves, breves et inefficaces etiam saepe occurrunt, immo parturiens facile edit partum, nihilosecius tamen malo hocce pernicioso opprimitur. Quid multa? Signa pathognomonica omnia defuerunt.

Nisi more rapidissima imposuisset exploracioni.

bus sinem, nonnulla forsitan occulta in lucem adhuc pervenissent. Indagantibus nobis hujus putrescentiae causas jam constitutio laxa et debilis satis magnam praebuit praedispositionem. Foetus vero magnitudo, graviditatem rite procedisse foetumque bene esse nutritum, certe probavit. — Praeterea afflictae parturientis res, quippe quae inhonestissima vitae ratione invisae, omni paene auxilio et praesidio orbata esset, animum sollicitum et suspensum reddiderant. Saepissime enim de futura vita in summa erat sollicitudine et obstetrice praesente sibi et infanti orbato mortem optabat. Quam vero animi sollicitudinem damnosam esse, experientia edocti scimus! Domicilium denique humidum in paludosa extra urbem regione morbum partim concitasse negari non potest. Quibus exceptis nulla alia causa invenire potuit. Mors subita hic adventabat, quod alias non semper occurrit, ob summam debilitatem et languorem, qui difficultatibus in partu augebantur. Prosperum vero exitum, si et diutius vixisset aegrotata, nemo certe exspectasset, quia hujus morbi prognosis, sensim sensimque progredientis tantoque organo inhaerentis, semper adversa est statuenda.

S e c t i o II.

Pars pathologica

Morbi descriptio.

Illustrissimus Boerius, praeclarus ille naturae muliebris observator, morbo, de quo agitur, putrescentiae nomen indidit, a plurimis hucusque medicis servatum, quod meo arbitrio optimum simul

morbique formae maxime congruens esse videtur. Verbo enim „putrescere“ eam designamus conditionem, qua materies organica, extincta vita interna, omnibusque partibus solutis, tabescit. Sunt quidem et auctores, qui, morbum nostrum tractantes, vocabulis: „gangraena et sphacelus“ utantur, quae verb, quamvis etiam partialem corporis animalis mortem significant, pariter laudare dubitem. Sic e. g. in tabulis suis diagnosticis celeb. Schmalzius *) huicce malo nomen: „gangraena uteri spontanea imponit, quamquam gangraenae summam semper praecedere dicit inflammationem, quae ipso auctore in uteri putrescentia omnino non invenitur. Hoc in morbo scilicet mortificationis et subsequenter putredinis causa non in languore, e nimia vasorum activitate profecto, sed in deficiente necessario uteri vigore est posita. Ceterum gangraena et sphacelus ita tantummodo inter se differre videntur, ut in illa vitae igniculus nondum plane sit extinctus, extremaque vis, ut ita dicam, luctans mortem effugere nitatur; quare haud inepte gangraena vocatur; in hoc vero minima jam vitae scintillula est deleta, fotorque, lividus color ac torpor partis hujus cum cetero corpore nexum plae sublatum esse satis probant. Itaque ex opposito sphacelus dicitur. Quare et illud: „sphacelöse Verderbnis,“ quo cel. Wenzel **) in morbo hoc definiendo utitur, minus aptum videtur.

Plurimos enim auctores in eo convenire videmus, quod vocabulo: „sphacelus“ tunc praesertim utantur, cum, inflammatione vehementi antecedente, in parte quadam omnia vitae vestigia sunt abolita. Aliena igitur et prava, quamvis jam accepta et vetustate sa-

*) Versuch einer Diagnostik in Tabellen v. C. G. Schmalz. 3te Auflage, Dresden, 1816, p. 197.

**) Carl Wenzel über die Krankheiten des Uterus, Mayns 1816, p. 47.

crata, illa mihi videntur: „gangraena senilis, sphacelus scorbuticorum“ cum hisce vehementis inflammationis praecedentis signa desint. — Tam ingenti nominum ad artem medicam pertinentium copia optandum sane, ut quaeque morbi designatio propriam ejus indolem, quam fieri potest maxime, significet. Tunc deum impetratum esset, ut in significatione morborum firma ad unum omnium consensio existat. — Hisce ergo rationibus impulsus uteri mortificationi aptissimum additum esse nomen censeo putrescentiam, quippe quae vox, deficiente languore e suprainnitatione orto, (quo simul a gangraena differt) generaliter tantum tabescendi notionem exprimat. Ita quoque clarissimi viri, Boerius et Joergius vocabulis: „uteri gangraena et sphacelus“ in gangraenoso tantum et metritide profecto exitu utuntur. Quod vero ad tria in utero sphaceli genera adiunct, quorum cel. Wenzel in opere suo commemorationem fecit, — totum mihi sine causa in particulas discriptum esse videtur. Hisce, quae supra dixi, probasse me puto, duas tantum causas, quibus partes organicae, durante vita, emoriantur, reperiri, alteram, — virium organismi consumptionem, quae vehementem sequitur inflammationem et gangraena dicitur; alteram, — debilitatem aut universalem aut localem, nervorum, ut ita dicam, evanescentem vim, in qua nulla vel parva tantummodo inflammationis symptomata antecedunt, quamque subitam appellamus putrescentiam. — Secunda igitur sphaceli species; quam cel. Wenzel profert, inflammationemque haud absolutam subsequi dicit et propria e muliebris corporis debilitate constitutioneque epidemica pendere ipse confirmat, una eademque, ni fallor, est ac tertia, quam assumsit et quam in corruptione sphacelosa sine ulla inflammatione posuit. Si enim, dum inflammatio non summum, assecuta sit gradum, pars affecta emoriatur eandem certe mortis causam fuisse censeo, quam et un, quum inflammationem nullam investiga-

re poterimus, assumere coacti, semper, etsi non satis definire, tamen suspicari possumus. Cujus sententiae meae alii quoque esse videntur, cum e. g. ipse cel. Boerius uteri putrescentiam cum sphacelo scorbuticorum et cum gangraena ex decubitu febrium malignarum comparat, quibus semper inflammatio mediocris antecedit.

Ex morbis sexus foeminei iisque systematis uterini hic, de quo agitur, unus est atrocissimorum, cujus caussa et effectus corpori vivo tam inimica sunt, ut malo aliquatenus provento, medelam vix reperias. Quibus accedit, quod morbus parum hucusque cognitus immo paulo ante omnino est addubitatus. Sin vero accuratissimas cel. Boerii descriptiones et sectiones hoc morbo demortuarum, quas summa intentione et studio instituit, aliorumque ab illo excitatorum medicorum experientiam reputemus, non est, quod morbum hunc sui generis constituere dubitamus. Et dubitatore quemque, qui forsitan inveniri possit, optime verbis cel. Boerii*) alloquimur, ita quidem loquentis: „Nur Solche, die schon alle menschlichen Leibesgebrechen sammt den Mitteln dagegen in ihrer engen Bücherschranke zusammen zu haben glauben und das alles, was nicht dort beschrieben, lauter Tand und Phantasie sei, können diese Krankheit bezweifeln.“

Omittens hic accurata signorum diagnosticorum descriptionem, brevem primam circumscriptam que morbi imaginem inde a primordico usque ad finem adumbrare studebo.

Malum hocce puerperarum est; bene vero notandum, haud raro jam ultimo saltem graviditatis tempore paullatim adolescere, quod morbus statim, partu edito, saepe jam omnino excultus, citoque subsequens mors luculentissime probant. Itaque ne-

*) l. c. p. 206.

que in eandem cum cel. Schmalzio abeam sententiam, qui putrescentiam gravidarum morbum appellat, nec cum cel. Wenzelio consentiam, qui gravidas hoc malo corripit negat. Quodsi etiam nullam omnino relinquat dubitationem, quin morbus noster, partu nondum in lucem edito, erumpat et incrementa copiat, neutiquam tamen, ni fallor, putrescentia gravidis tantum propria et peculiaris dici potest, praecipue quum, ut Schmalzius ipse admonuit, non nisi post partum praesentia ejus periculosa pro certo haberi debeat. Sit ergo puerperarum primamque trahat originem ex graviditatis tempore. Quid vero? Exstant observationes et quidem non paucae, quibus rem ita sese semper habere negetur. Cel. Boerius, Joergius aliique surgunt, qui indagandi observandique insignes sunt ingenio, quorum illic*) experientia edoctus sic loquitur: „manchmal entwickelt sich die hier beschriebene Krankheit erst nach der Entbindung.“ — *Hic* **) vero in compendio suo de mulierum morbis: „die Putrescenz des Uterus entwickelt sich eben sowohl in der letztern Zeit der Schwangerschaft, als auch in der Geburt und im Wochenbette.“ — Non minus morborum historiae certae affirmant, graviditatem non solum et partum, sed et initium puerperii ne ulla quidem hujus morbi praebuisse symptomata, postea vero tempestatis influxu nocente magna humorum jactura, sollicitudine, angore vel alia causa nobis incognita repente malum in adspectum venisse. — Ita etiam illius Wenzelii sententia, qui quasi puerperis propriam tribuit putrescentiam cum experientia discrepat. Qui fit, ut nonnunquam, partu edito, mater repente mortem obeat, ubi sectione cadaveris insti-

†) l. c. p. 210.

††) Handbuch der Krankheiten des Weibes von J. Ch' 5. Joerg. Leipz. 1821. p. 756.

tuta malum hocce plane excultum aperitur? Num hisce in casibus tam celerrime statum illum pathologicum formatum esse censeas? Haud crediderim! — Multas nobis ejusmodi observationes illust. Boerius communicavit, illoque in casu, quem breviter supra exposui, aegram hoc malo morientem vidi, XII nondum horis post foetam utero exclusam praeterlapsis. — Attamen malum, quamvis graviditatis tempore exoriri possit, interdum tamen, dum foetus adhuc utero inclusus est, turbationes haud magnas, saepe nullas producit; — imo partum nonnunquam facile editum esse accepimus. Non tamen ita semper in occulto versatur prima morbi origo. Ubi putrescentia apparebat, Boerius et Joergius abortum exortum viderunt et parturienti opera et arte adfuerunt. Dolores ad partum parum efficaces et debiles, atonia uteri et habitus laxus una cum humorum cachochemia in normale manifestant statum. Tum vero puerperii initio, tenebris dissipatis, in lucem omnino malum profertur. — Lochia fluere videntur, sed sensim sensumque fluxus eorum minuitur, tollitur, nec quo ordine debet mutatur; verum mox humor ichorosus, ater emanat. Mammarum functio plerumque etiam est turbata. Uterus eadem magnitudine, qua ultima graviditatis periodo esse solet, mollis et laxus supra ossa pubis sentitur, sub tactu plerumque non dolens. Cum his signis diagnosticis, e quibus malum satis certo, sed fere insanabile cognosci potest, febris putrida interdum conjuncta est. Virium ab initio tanta est defectio, quae neque stadio morbi neque symptomatum vehementiae respondeat; et mox subsequitur mors placida. Sed rapidior etiam est haud raro decursus. Exacerbationes febris oriuntur vehementes cum exsudatione lacteae materiae conjuncta. — Petechiae erumpunt pessimique sunt ominis et salutis spem omnino nobis adimunt. Gravidas etiam Boerius vidit morientes convulsionibus et, abdomine dissecto, uteri putrescentiam.

Quae cum ita sint, quum morbi origo tam oc-

culta et decursus maxime variis nec certis phaenomenis conspicuus, non est, quod miremur, quo modo Boerius affirmare potuerit, morbum tam dirum medicos fere semper latere. Illust. ille*) ita e. g. locutus: „dafs wenn man die Krankheit auch 99 Mal gesehen, sie doch das 100ste Mal in einer neuen Gestalt erscheinen könnte, indem sie sich an nichts Bestimmtes bände“. — Auctor ille narrat, aegram saepe hoc morbo mori vidisse libero doloribus ac molli ventre, pulsu fere naturali, haud spurcata lingua et immuni capite. — Tempus morbi non minus differt nec de fine certi quidquam statuere licet. Plurimae, Boerio auctore, ante diem undecimum obeunt et rarissime usque ad diem vigesimum malum perdurat. Sed interdum, partu modo finito, subitam adventare vidit mortem.

Quum sectiones cadaverum res occultas in lucem proferant nosque de morbo ipso certiores facere possint, haud alienum erit, prius quam de diagnosi specialiter disserimus, summam eorum, quae ex illis didicimus, hic breviter communicare.

Sectiones cadaverum.

Sectiones uteri putrescentia emortuarum haec fere docuerunt: In capitis cavitate omnes plerumque partes sanae et quae aderant abnormitates, nullo cum uteri malo in connexu erant. Sic, ut exemplum asseram, quum symptomata spasmodica antecesserant, vasa interdum sanguine valde impleta apparebant. In cavitate pectoris pulmones saepe Joergius laxos, decolores, tuberculosos et cum pleura coalitos vidit, nec non cordis laxitatem, quae ad praegressam hujus organi debilitatem con-

*) l. c. p. 208.

cludere jubet. Num haec vero symptomata cum uteri putrescentia necessario cohaeserint, posterum tempus docebit. Equidem contrariam amplectar opinionem, quum raro tantum malum hocce committentur, et saepe ne vestigia quidem eorum in pectoris organis post mortem persequi possimus.

In abdominis cavo sibi ubique constantia et propria morbi signa occurrunt. — Uterus morbi sedes, majori volumine, quam hoc tempore par est, sese offert; parenchyma sentitur molle, larido simile, ut verbis Joergii utar, et quum uterus persecatur, interna in superficie omnem mali summam invenias. Si resolutio parenchyma uteri pervasit, in superficie externa etiam loca coloris plumbei apparent. Facies interna plerumque integumento atro vel livido oblita est, quod saepe ad lineas 2 — 3, quo loco placenta inserta fuit, in parenchyma irrepsit. Massa haec putrida scalpello facile solvi potest, neque in partibus non destructis ulla inflammationis vestigia animadvertuntur vel levia tantum, si adsunt, qualia in parte gangraenosa nunquam deprehenduntur. Maximas destructiones collum uteri et labia orificii exhibent. Sunt enim plerumque omnino resoluta, quasi pulposa. Putredo illa interdum in vaginam irrepit, quod tunc praecipue observatum, quum foetus caput plus solito hic est commoratum. Superficies uteri externa, si passim rubei est coloris, peritonitidem praegressam et hucusque scriptam magis certe indicat, quam metritidem. Ovariae, tubae Fallopianae, ligamenta uteri mox inflammata, livida, flaccida sunt et destructa, mox nulla corruptionis vestigia offerunt. Viscera abdominis cetera plerumque plus minusque relaxata, vel unum alterumve, vel plura inflammata et adhaesiones exsudatione exortae reperiuntur nec non exsudationes materiae lacteae et lymphae puriformis. Joergius glandulas mesaraicas saepe extumescens et induratas vidit. In vesica urinaria etiam et praecipue in vesicae collo maculae atrae, incrementis signa mortificationis, spectari pos-

sunt. — Quae partes, et uterus potissimum, odorem spargunt foedum; ichor effluens tali est acritudine, ut, Boerio auctore, metalla arrodant, digitosque et unguis explorantis fusco colore, quem abluere fere nequeat, tingat.

Sat superque ex his allatis elucebit, mortificationem celerrime serpere celerrimeque mortem adducere.

Diagnosis.

Sane medicus, occulti cujusdam et saepenumero paulo ante mortem cogniti morbi certa, quibus posthac cognoscatur, signa daturus, maximas in difficultates incurrit. — Quae quidem symptomata occulta et ancipitia incertiores adhuc reddunt et angustioribus, ut ita dicam, finibus medicum circumscribunt, quum non modo non semper reperiuntur, sed haud raro etiam, uno eodemque morbo urgente, cum alienissimis aliis et maxime contrariis commutentur. Ejusmodi quasi Protheus etiam putrescentia uteri medicis esse videtur, quorum profecto nemo unus erit, qui in voeis non habeat, ut ambiguus ille, forti quondam devinctus manu, qualis vere est et cognoscatur. Maximopere igitur egregii Boerii *) illud: „Der ganzen Krankheit äufsere Charakteristik besteht vielleicht darin, daß sie nichts Charakteristisches an sich hat“ — probandum mihi videtur neque unquam in Joergii, Wenzeli aliorumque sententiam discedam, qui, hocce dicto repudiato, Boerium, opinione praconcepta obcaecatam, perspicere potuisse negant eundem morbum, quem, quod scimus, prae ceteris semper cognoverit. Quamvis enim morbi observantur et quidem non pauci, quorum signa

*) l. c. p. 208.

ita diversa, immo sibi contrario apparent, ut medicus, ne uno quidem certo morbum semper comitante symptomate confusus, diagnosis confirmare nequeat, manifestissimum mihi tamen et intellectu facile videtur, saepissime morbi indolem ac naturam medicis experientissimis, qui indagandi observandique insignes sunt ingenio, causis et conditionibus rite inter se collatis, detegi, et ita quidem, ut qua ratione detecta sit, non dici possit. Quod quidem ipsum in celi Boerium cadit, quo nemo fere medicus usque ad hocce temporis momentum saepius morbum nostrum observavit. Symptomatum ambiguitas licet semper quam maxime esset mira et confusa, ex magna tamen aegrotarum, quibus medendis operam dedit, serie clariorem, qua morbum recte praedicere ipse valuit, imaginem animo concepit, quam vero, etsi recte deformasset animoque concepisset, aliis tamen neque accurate exponere, nec lineas primas, secundum quas imaginem hanc sibi cogitatione depinxerat, impertire potuit. Ne ullo quidem symptomate constante morbum forsitan tum suspicabatur, quum plura, quamvis incerta, conjungerentur signa, quae, causis omnibus respectis, opinionem suam confirmarent; attamen insigne quoddam peculiareque, in quo morbi natura potissimum cernitur, deerat. Nunc autem symptomata adhuc observata tum occulti morbi inter graviditatem, tum aperti inter puerperium, pro viribus meis collata, in medium proferre liceat.

Quae morbi symptomata tempore graviditatis admodum dubia videntur minusque indicant, haec fere sunt: Vel initio graviditatis, quod rarius fit, vel in ejus decursu, aegrotata magnam virium sentit defectionem, quae, augescente foetu, in dies augetur. Insigni macredine, totoque corporis habitu atus morbosus indicatur; facies pallida; systema reproductionis prae ceteris affectum; paucis aegrotatae cibis utitur et plerumque moesto tristisque animo test affecta. Abdomen aliquatenus collapsum et de-

minutum, neque ita ut alias solet, extensum, sed contractanti laxius videtur, nec non aegra paulatim aucti ponderis sensu vel maxime permota apparet. Acrioribus in utero doloribus aegrotata haud cruciatur. Explorationem obstetriciam instituenti portio vaginalis solito spongiosorem mollioremque sese praebet, manuique appressae minus resistit. Calor in ipsa vagina etiam saepe deminutus est et genitalia languescere dicuntur atque extumescere, quod Schmalz praecipue aestumat. Mammam interdum etiam a natura recedere, sensu quodam molestiae, modico turgore nec non eo probatur, quod lacte non satis implentur. — Quae vero symptomata omnia incertissima esse et saepenumero, ex putrescentia uteri nequaquam orta, reperiri, quis est quodammodo peritus, qui facillime non intelligat? — Inter partum ipsum etiam morbi imminenti symptomata parum certa conspiciuntur, nisi forte tanta jam mortificatio uteri cervicem corripuerit, quantam, quod rarissime fit, digitus contractando atque explorando cognosceret. Partus ipse lentus plerumque et difficilis editur; dolores ad partum solito exiles, parumque efficaces, non aliter, ac si uteri atonia modo locum habeat. Proles tamen, si modo, quod ad pelvim attinet, opportuno loco collocata sit et cum magnitudine pelvis omnino congruat, propria naturae vi excluditur. Morbo nimis incremente ichorem inter partum emanare, verisimile mihi videtur, quamvis Joergius nondum observavit, quo auctore liquor amnii admodum turbidus, minime vero putridus esse dicitur. Infans plerumque exiguus et secundinae majorem exhibent mortificationem. Sin autem morbus noster demum infante edito neque antea erumpit, partus, ceteris opportunis, facilis est et naturae conveniens, neque ullus reperitur medicus, qui, quum non solum infans et secundinae nullam commoveant suspicionem, sed initio puerperii etiam malum in occulto versetur, infaustissimum morbi exitum praediceret. Verumtamen partu peracto peritissimum quisque statum patho-

logicum serius ocius cognoscet, haec fere secutus indicia: Uterus non, ut post partum fieri oportet, contrahitur, sed continuo exploranti laxus videtur. — Abdomen, nisi peritonitis atque enteritis una simulque locum habeant, semper fere vel maxime dolore vacat, tantusque est ille, quem hic invenimus, torpor, ut interdum etiam in vesicam adjacentem et intestinum rectum, cum impleta non sentiantur, transeat. — Portio vaginalis inter explorationem mirum in modum mollis, cuique digiti impressioni cedit et, jamjam aucto morbo, adeo fluida, gelatinae instar, reperitur, ut in ipso digito parenchymatis soluti vestigia haereant. Itidem lochia nec naturae convenient, neque, ut recte Boerius monet, semper sibi constant, cum, prout major minorve uteri pars putresceret, plus minusve profuant. Ipsa rariora sunt et calore in fuscum mutato, mox teterrimum cadaverinum spargunt odorem. Color ille cinereus et digitis explorantium aliquamdiu nullo modo elui potest. — Lactis secretio plus minusve turbatur; nunc enim Boerius mammas vacuas vel, si lac continuerint idque tenue et aquosum, rursus concidentes, nunc usque ad extremum spiritum turgescens vidit, immo post mortem majori copia repletas. In puerperis nostris, quod ad universam pertinet conditionem, vigens atque hilaris ille, qui in aliis post partum observatur, color desideratur; cutis, actione fere sublata, collabitur et vel sicca est, vel profuso nihil levante sudore obducta. — Febris subsequens, Boerio auctore, continua solito remittens est cum exacerbatione vero minus regulari et vespere tantum aucto calore; non est, quod hoc dubitemus, quum ex tanta totius corporis infirmitate vehementior paroxysmus proficisci nequeat. Minus vero, quod Schmalz opinatur, reperiri plerumque febrem putrido caractere, probandum mihi videtur, quum aegrotae, ceteris corporis partibus nequaquam adhuc dissolutis, saepissime jam mortem obeant. Febris vero tunc e. g., cum maculae fuscae in extremitatibus etc. appareant,

putridam induere potest naturam. — Pulsus semper est parvus, acceleratus et, si status inflammatorius simul adest, etiam duriusculus; caput liberius; defatigatio autem maxima est et facies collapsa cum oculis fusco margine obductis. Somnus plerumque abest, vel si adsit, in somniis turbatur. — Neque minores in systemate reproductionis aberrationes observantur. Ciborum magna satietas; sapor amarus; linguam Boerius humidam neque obductam esse contendit; Joergio autem in contrariam eunti sententiam, quum ardens illa, quam et Boerius invenit, sitis, aridae linguae opinionem excitet, major mihi videtur fides tribuenda. Perpaucas modo aegras Boerius vidit, quae subcano et mucoso vomitu non vexabantur, amarcae viridi simillimo. Immo etiam lumbrici humani vomitu egerebantur. Plurimae diarrhoea vel maxime enervante laborant, faecibus fuscis, mucosis et pessime olentibus. Rarissime tantum obstructionem, clysteribus et purgantibus frustra adhibitis, contumaciter perseverantem Boerius vidit, quo vero casu jam tertio die moriebantur. E contrario autem semper initio obstructionem adesse et serius modo colliquefactas alvi dejectiones oriri Joergius contendit. — Urina mittitur turbida, fusco colore, incocta, immo etiam ultimo tempore, secundum Joergii opinionem, muco et pure mixta.

Quae omnia hic proposita symptomata, cave, ubique ita se habere, censeas, quum non solum non semper una simulque observentur, sed omnia etiam, ut supra jam monuimus, abesse possint, ita ut haud raro secundissima quaeque sperantes aegram videamus subita morte extinctam. Tunc demum cadavere aperto uteri putredinem reperiemus. — Quae cum ita sint, diagnosis et prognosis morbi nulla ratione certo statui possunt. — Plurimum sine ullo dubio ad diagnosis ea, quae ex exploratione proficiscuntur, symptomata valent; sola enim illa — serius autem prohi dolor! quam uti salus afferatur — morbum vera praesto esse, confirmant!

Notio morbi et ab aliis similibus

morbis distinctio.

Perscrutantibus nobis morbi naturam atque indolem — res sane non expedita — tres maximi momenti quaestiones solvendae videntur: 1) Potestne putrescentia vita durante a gangraena vel a carcinomate uteri aequae definitae, ac cadaveris sectione distingui? 2) Sane morbi, qui eandem fere cum nostro morbo vim exercent ullamque convenientiam ostendant; si dantur, quid est, quod statuamus convenientiam? unde eadem vis? 3) Qua in re denique peculiaris putrescentiae positae est natura et quomodo totam ejus originem explicare possumus?

Quaestionum modo propositarum primam, num putrescentia a gangraena et scirrho jam in corpore vivo distingui possit, optimo jure, ut mea fert opinio, affirmare possumus. Gangraenae, quum ex inflammatione originem trahat, metritidis symptomata antecedant necesse est. — Num vero in putrescentia vehemens ille pungens atque in contactu auctus dolor, quem in metritide supra ossa pubis percipimus? Exploratione instituta nam portionem vaginalem invenimus calidiorem, humidam, duram, et dolore clementem, ut in metritide accidere solet? — Partes adjacentes, vesica e. t. c., num per intimum, quo gaudent, connexum, manifesta illa inflammationis vestigia, quae etiam raro desunt in metritide, praese ferunt? Num certa enteritidis symptomata observantur? — Minime quidem! — Itaque jam, antequam morti succumbit aegrotata et sectione ipsa certiores reddimur, semper fere satis compertum habere possumus, num infelix, qui in gangraena et sphacelo reperitur, inflammationis exitus vitae filum dissecaverit nec ne. — Etsi nonnulla per vitam nondum aperta essent, semper tamen, quamquam sero, corpore mortuo dissecto, priorem aegrotatae conditionem satis exploratam habebimus.

In putrescentia internam uteri faciem, praesertim cervicem mortificatione invenimus correptam; putredo ibi non ita penitus ipsius organi parenchyma pervadit, raro enim in superficie externa etiam pauca loca plumbeo colore inveniuntur. Potissimum autem putrescentiae uteri natura in eo cernitur, quod sub partibus mortificatione correptis, rubor ille inflammatorius deest, perpetuus gangraenae socius, quae praeterea, utramque visceris hujus faciem promiscue corripit et saepius ab externa in internam pervadens, fundum magis quam cervicem tentat. — Perspiciora adhuc magisque in aperto sane ea sunt signa, quibus scirrhus distinguitur, quippe cujus nulla fere cum nostro morbo exstet similitudo, nisi, quod uterque, vitae periculo, libentissime uteri cervicem sibi deligant sedem. Putrescentia quum uterum gravidum solum inestet, illum, qui etiam non gravidum uterum invadit, scirrhum minime hic spectari, facile intelligitur. Sed inter graviditatem etiam scirrhus facilius cognosci potest. — Tum dolores perpetuo pungentes et subius magis in vagina accepti, tum glandularum inguinalium nodosus tumor quam maxime medici animum in se convertent. Lucem adhuc majorem affert exploratio obstetricia. Dum uterus, foetu augecente, more solito mutatur, cervix continuo immutata permanet; illo sensim soluto, haec magis magisque indurescit neque in brevius contrahitur, unde praesertim ultimis graviditatis mensibus, in quibus uteri cervicem corpori extenso cedere oportet, vehementissimi oriuntur dolores. — Digitis illatis praeterea peculiarem portionis vaginalis duritiem et nodosas prominentias observamus. Interdum etiam femina doloribus quasi ex partu corripitur tantumque abest, ut praescriptum tempus ventrem ferat, ut potius, quod Joergius contendit, jam septimo, saepe prioribus mensibus partum elat. Summi nunc nec ferendi adsunt dolores, quia uteri orificium admodum lente et imperfecte aperitur. — Manifesto autem jam carcinomate orto, non modo morbi ipsius natura;

sed id praecipue, quod antecessit, satis superque praebere distinctionis.

Alteram, quam posuimus, quaestionem, cuius per analogiam tertia etiam ex parte dissolvitur et, qua soluta, speramus, fore, ut aliquando intellectu apertior reddatur putrescentia, practici itidem affirmare videntur. Sunt morbi, qui sua natura ad uteri putrescentiam se applicent. — Jam Boerius uteri putredinem cum scorbuticorum, febriumque malignarum sphacelo et illo, qui miasmatis producitur, cuius causa neuliquam inflammatio est, conferri haud dubitat. — Qui quidem morbi digni sunt, quos etiam atque etiam consideremus. — Boerius, dissimilibus morbis hic comparatis, ut mihi videtur, significare tantum voluit, similitudinis tum inter hos morbos ipsos, tum eorum cum putrescentia vinculum plane tantum a penuria manifestae localis inflammationis necti. Quod, ut mea fert sententia, optimo jure contendere potuit. — De scorbuticorum sphacelo v. c. immortalis Richteri *) „Einzeln Theile, ait, werden brandig, häufig „zwar solche, an denen scorbutische Geschwüre sitzen, „aber auch oft ganze Glieder, zumal die Beine, ohne „dafs sich vorher Entzündung oder Exulceration an „ihnen gezeigt hat.“ — Neque minorem occasionales scorbuti causae afferunt similitudinem, quum scorbutus aequae ac putrescentiae uteri libenter coram temperie frigida simulque humida, domiciliis madidis, animique moerore et sollicitudine oriantur. Tum etiam nihil impedit, quominus in interna scorbuti natura omnem omnino reproductionem abnormem esse, pravamque, quae in systemate venoso praec-

sertim ibi apparet, inde ortam vegetationem agnoscamus atque ita universam organismi debilitatem explicemus. — Inde nonnullarum corporis partium subita mortificatio et putredo; non dissimilis illi, quam debilitato organismo, in utero etiam comprehendimus.

Ita etiam cum sphacelo et decubitu malignarum febrium res se habet. Vis vitalis, si jam majorem in modum extincta et demersa est, singulae partes rapidissime incipiunt praemori caeque potissimum, quae, sicut uterus post partum enervatus, procliviores virium defectione sunt ad extinctionem. Ita quoque aliquatenus ad malum nostrum prope accedit pustula maligna et gangraena nosocomialis, quae, quamvis contagio exoritur, quo cum uteri putrescentia discrepant, subitam etiam, sine inflammatione praegraessa, mortificationem et putredinem, vitamque in summo discrimine versantem ostendunt. — Gangraena porro senilis, gangraenae quasi species, quae vitae actionibus nimis turbatis et fere extinctis, homines aetate provecos tentat, suamque in pedibus collocat sedem, haud omnino putrescentiae dissimilis est quoad causam proximam. Maculae quidem illius atrae, quae in pedis digitis conspiciuntur, tarde latius serpunt nec summum vitae discrimen repente imminet, nec periculum ex inopinato exurgit; sub epidermide autem desquamata nec levia quidem inflammationis vestigia invenies, quae alias sub partibus gangraenosis deprehenduntur.

Omnes hic allati status pathologici vitam organicam non solum in uteri putrescentia sed etiam in aliarum partium morbis sine priori inflammatione tabescere demonstrant. — Quum vero superficiem internam omnium partium ad genitalia pertinentium, ergo etiam uteri, membrana mucosa inductam esse et in hoc pariete morbum exoriri sciamus, ideoque putrescentia uteri malum membranae mucosae peculiare esse videatur, magna est quaestio, num in

*) Richters specielle Therapie, B. 5., S. 796. Berlin 1822.

ejusmodi membranis aliarum partium huic similia mala reperiantur?

Tres quidem membranarum mucosarum exstant morbi, quos, quoniam res ita se offert, silentio praeterire non possum; igitur, quantum possim, aequae similitudines eorum ac dissimilitudines, quae iis cum uteri putrescentia sint, aperiam. — Respicimus primum cancerem aquaticum, — sane perperam ita nominatum, — qui in auctorum scriptis et sub nomine: Stomacace gangraenosa s. maligna, gangraena oris interna (Boërhave), malum mortuum, noma, saepe occurrit. — Unterwood *) morbum huncce sub nomine: erosio genarum gangraenosa, ut mihi videtur, perbene ita describit: pueros usque ad sextum vel octavum aetatis annum, praecipue infirmos, qui urgentur vermicibus, tentat. Febre saepenumero antecessa, macula atra in genis aut labiis apparet, quae cito sine inflammationis signo praegresso latius serpit et omnino neglecta aut male curata, partem totam oris affectam perrodit, quo fit, ut gingiva et oris cavitas in adspertum veniat. Partes affectae in massam putridam mutantur. Ita quoque Sauvages**) morbum enarrat sub nomine: necrosis infantilis, qui pueros quinquennes, praecipue in orphanotropheis, infestat, sane idem, qui alias stomacace nominatur, morbus. — In genis, sic loquitur, vel in genitalibus externis puellularum macula rubra vel livida, sine febre, sine tumore, dolore et calore aucto, erumpit et latius serpit, ita ut nonnullis praeterlapsis diebus, leni tactu partes tentatae, rum-

*) Underwood treatise on the disease of children, Vol. II, p. 62 2. Edit.

**) Sauvages nosolog. method. (et Daniel. Vol. v. p. 223

pantur et fatiscant, nec sanguis nec humor alius emanet. Malo progrediente mors statim succedit. Gingiva et pudenda cum partibus proximis tamquam abesa, sicca et atra videntur. — Isnard — Cévoule, Francogallicus, qui crebro stomacace observavit, descriptionem ejus accuratissimam nobis tradidit. Auctore illo mucosis in oris membranis, superficialis primum ulceratio apparet, colore albo, parvo ambitu et sine dolore. Sensim sensimque ulcus latius et altius serpit, colore cinereo et puriformi materia tenaci inducium. Os foetidum usque ad palpebras intumescit et quo loco in genarum facie interna ulcus adest, in externa macula exoritur flava, quae mox colorem atrum accipit.

In vicinia omnia nunc gangraenosa, genae et labia, octo diebus vix praeterlapsis, putrida, pulposa apparent et particulatim dilabuntur. Diarrhoea denique colliquativa cum sedibus male olentibus, quae nullo remedio coerceri potest, mortem maturat. Huic similis partes pudendales invadentis morbi est decursus et finis. Ulcus primum erumpit in labiis majoribus, latius serpit; tumor oritur et pudendalia superiorque femoris pars gangraena fere conficiuntur. — Quibus descriptionibus satis elucebit hujus morbi naturam talem esse, qualem in uteri putrescentia invenimus. Eo facilius inducamur, ut haec statuamus, quo magis, quod auctores de momento casuali opinabant, respiciamus. Nam omnes fere ad causas hujus morbi, scil. stomacacis, adnumerant alimenta corrupta, nutritioni inepta, humilem atque humidam sedem et regionem, udam cum frigore conjunctam tempestatem autumnalem, mag-

*) Aus dem 16ten Hefte d. Journ. complem. du dict. des s. medic Jahrgang 1814.

nam omnino corporis debilitatem. Inflammationem gravem, quae in gangraenam transiret, frustra quaeres neque ullo modo detegere poteris et celer ejus rapidusque decursus simillimus est putrescentiae uteri decursu nec minus alia quoque phaenomena.

Respicimus nunc porro anginam gangraenosam malignam, morbum sane putrescentiae similem. Invenimus quidem statum hunc pathologicum in multis auctorum scriptis, e. g. cel. Richter, tali modo delineatum, tamquam magna ei inflammationis symptomata semper praecirent. — Ea de causa etiam, uti aliis in gangraenae speciebus, haec productum nimis magni incitamenti inflammatorii esse dicitur. Quod quidem alia in anginae specie esse non negem, sed mihi hac angina excepta, alia adhuc existere videtur, qua nulla aut parva tantum antecedente inflammatione, acrem putredinem partium affectarum animadvertimus, quaeque jure angina putrida appellari potest. — Clarius, ut opinor, cel. Burserius *) hanc tractavit rem, mihique licitum sit, verba ejus afferre: „Anginam inflammatoriam quandoque in gangraenam desinere, supra animadvertum est. Hic vero de alio anginae genere, maligno, et plerumque epidemico, infantibus, pueris et adolescentibus prae aliis infensissimo, quod a fomite quodam venenato et putrefaciente ad fauces, et speciatim ad tonsillas traducto, easque quasi, ut ignis facit, adurente profluere videtur, sermo a nobis habendus est. In priore illa nulla malignitas est, neque ulla putredo-antecedens; et gangraena ipsa, quando accedit maximo tantum inflammationis gradui supervenit, debeturque et plerumque, ubi praesertim interiora occupat, latiusque diffunditur,

„extremum morbi finem certa nece facit. In hac vero aliter res habet; nam levissima diatheseos inflammatoriae indicia adsunt, malignitas contra putredinisque maxima et indubia. Non ergo haec vehementissimae inflammationis soboles est; sed causticae, malignae et delectricis causae effectus. Gangraenosam anginam hanc vocavimus, quod gangraena perpetuo fauces corrumpat; sed addidimus malignam, ut prava ejus natura innotescat; qua discriminetur ab angina inflammatoria, interdum et ipsa in gangraenam desinente.“ — In morbi aetologia porro pagina 370 ita ait „Id vero acre, immo putridum necroticumque principium vel sponte in corpore generatur atque evolvitur, impetitque fauces et propria loca, aut febrili motu genitum, extricatumque in illis deponitur, vel contagione recipitur, aut ex infectis in sanos traducitur.“ — Ad causas remotas hujus morbi Burserius quoque adnumerat tempestatem humidam, regiones paludosas, victum tenuem, phlegmaticum laxumque habitum et constitutionem epidemicam. — Ex his, quae hucusque allata sunt, sequi mihi videtur, hanc anginae speciem magnam habere cum uteri putrescentia similitudinem. Cel. Dr. Romberg, Berolinensis, in relatione sua de nonnullis sectionibus earum, quae huic morbo succubuerunt, satis perspicue quoque proficitur, nullam in hoc anginae genere inflammationem praevisse. Invenit enim e. g. in sectione feminae cujusdam, scarlatina typhosa cum putrescentia cavitatis oris atque faucium mortuae, ne minimum quidem inflammationis vestigium, quamquam hae partes una cum lingua fuscum ostendebant colorem, odorem intolerabilem et talem resolutionem, ut varia loca, praecipue radix linguae, tamquam pirum putridum digito transfigi possent. — Ille etiam de putrescentiae cum hoc morbo similitudine omnino persuasus est. Nec minus universalis et repentina virium deminutio, quae hanc comitatur anginam, rem facit probabilem. — Haud parva denique similitudo putrescentiae uteri est cum

*) I. B. Burserii institut. Medic. pract. Vol. III. p. 368 Lips. 1787.

morbo, quem germanice nominamus: *Erweichung des Magens*, vel: *Verdauung des Magens*. Sed usque ad hunc diem, ni fallor, nosologiae cultiores nullum aptum et rei congruum huic morbo dediderunt nomen. Secundum hanc opinionem tenentur: mala laxatio ventriculi spontanea, naturae morbi conveniens nec inertis videtur. — Hunterus, doctiss. ille vir, hoc malum chemica membranarum ventriculi solutione, propria sicuti gastrici vi post mortem progenitum esse, contendit. Quam ad confirmandam sententiam omnino rarissime, inquit, ventriculum hominum se invenisse, quo non praecipue in fundo, tunica villosa plus minusve corrupta atque corrosa fuisset. Huic vero observationi alii viri, ingenio praecedentes, non utique assentiunt. Ne unus quidem eorum, qui in arte corpora secandi versantur, et organismi metamorphoses diligentissimi observant, Socmeringo non excepto, hujus putredinis fecit mentionem. — Secundum Hunterum haec ventriculi destructio succo gastrico plane sano oritur, ideoque in iis potissimum, qui subita morte absquebantur, in quibus vero per vitam, ubi succus gastricus minus validus et alienatus apparebat, frustra, abdomine aperto, quaerebatur. Hic sane Hunterus, ni fallor, in errorem incidit tantumque, quae fortuito forsau accedebant, causas et conditiones respexit. Medici enim forenses, qui obductiones accuratissime instituerunt et reemittationes vobis tradiderunt, ne verbo quidem hoc malum attigerunt, quod tamen cuique notabile et his praeteris permagni casus momenti. — Sunt vero et quidem multi, e. g. cel. Jäger*) et Cruveilhier**) qui

hanc ventriculi malaxationem crebro, dum vita aegrotis suppetebat, cum aliis morbis conjunctam observasse dicant. — Quid autem de proxima causa hujus morbi statuere licet? Magnae, ut arbitror, systematis nervosi turbationes eorumque nervorum, qui ventriculum petunt eique provident, semper paralytin illam antecedunt, quae exorta, malaxationem procreat, eoque fortasse facilius, quo major succi gastrici peculiaris corruptio, quam Jäger caochymiam indele acidici accitici, appellat. Symptomata, quae vita durante, observari possunt, haec fere sunt: Vomitus indomitus, virium summa defectio, facies pallida, cutis frigida, durities et extensio tympanica abdominis. — Pueri praecipue hoc malo tentantur, qui assidue crura adstringunt et vagientes gementesque extremum vitae spiritum edunt. Summum, morbo progrediente, vitae semper imminet discrimen. Dissecto abdomine omnes ventriculi tunicae, prae ceteris in fundo, resolutae gelatinosae apparent acidamque reactionem ostendunt. Si persequimur hanc partium resolutionem putridam usque ad loca sana, nulla fere inflammationis antecedentis vestigia invenimus. Interdum tamen, sed raro, Jäger antecedentem vel simul praesentem inflammationem investigare potuit. Cel. Cruveilhier nunquam partium illarum inflammationem, persaepe autem etiam tractum intestinale a morbo correptum observavit.

Nunc demum, variis et similibus cum postero, de quo agitur, morbis comparatis et tertia quaestio: quoniam sit causa proxima uteri putrescentiae et unde origo ejus derivari possit, facili erit dissolutu. — Uteri putrescentia, ut mihi quidem videtur, ex universali adynamica diathesi sequitur, quae, foetu excluso, ad majorem adhuc in utero gradum pervenit, quo fit, ut morbus, in partes maxime debilitatas ruens, uterum potissimum ejusdemque internam superficiem occupare debeat, quippe quae membrana mucosa hic maxime relaxata, prae caeteris

*) Ueber die Erweichung des Magens v. Hofmed. Jäger
Hufflands Journ. V. B. V. Stück. Mai 1811

**) Cruveilhiers médecine pratique éclairée par l'anatomie
et physiologie. I. Cahier. 1821. S. 30 — 139.

ris proclivis sit ad mortificationem. — Materiam peccantem, — venia sit verbo — quae in corpore jaceat vel extra, infirmissimam semper organismi partem eligere et ad exitium vocare nemo est, qui dubitet. Confirmatur praeterea haec mea opinio virium ab initio defectione, quae malo progrediente, talem ascendit gradum, ut neque tempori morbi neque symptomatum vehementiae respondeat; — confirmatur denique putredine ipsa, quae sine ullo inflammationis signo, sine ullo dolore oritur et serpit, simulque tali modo satis perspicue, quod jam monuimus, a gangraena et sphacelo distinguitur. Itaque putredo illa, ut cel. Boerius *) adnotavit, omnino fere passiva ratione, ut ita dicam, procreatur. At putrescentiam peculiare quasi malum membranae mucosae uteri tantum non jure habere possumus. Cui morbus hic, quae, tum in utero, qui nullum fert partum, non conspicitur, quum organo eidem eadem inhaereat membrana? Magna mihi illa laxitas parenchymatis uteri, quae graviditate producitur et augetur simulque illa cum hac conjuncta sanguinis venosi stagnatio et accumulatio, quae corruptioni favent, necessaria videntur ad vim vitalem, laboribus in partum jam excitatam, omnino exhauriendam. Cel Joergii opinio: „dafs das ganze Uebel „als ein zu beträchtlich und dadurch pathologisch „werdender Abweichungs- und Absterbungs-Process „der hinfälligen Haut anzusehen sey, welcher zu tief „in die Masse des Uterus eindringt, weil in diesem „die Lebenskraft nicht stark genug ist, um der Mor- „tification Einhalt zu thun.“ — haud improbanda mihi videtur, si malum graviditatis tempore exortum sit. Negari enim non potest, placentam uterinam, ut Joergius membranam appellat deciduam, graviditatis sine jam marcescere et tunc praesertim, quum

uterus etiam influxus nocenti debilitatus, putredine destrui et resolvi incipere, quae postea latius et altius serpit. Quid vero, quum morbus, multis jam diebus post foetum utero exclusum, erumpit? Minime tum eadem credas! (nisi forte malum postea nunquam erumpere statuas?) Sed interdum graviditatis tempore nulla signa adesse certa, ex quibus praesens malum dignoscatur, scimus. — Facile sane esset, primam omnino rei causam in occultis praeteritis ponere, nec quidquam pro certo et firmo argumento afferre! — Originem morbi post partum assumere coactus, res nocentes in organismum agentes impedire puto, quominus in facie uteri interna loca saucia conanescant, quo fit, ut putredo oriatur. Putredine vero exorta, emortua nec remota membranae deciduae residua aliquatenus proficere, ut malum latius diffundatur, verisimile est. — Cel. Boerius etiam, quocum hac in re consentio, non semper putrescentiam a membranae deciduae corruptione pendere putat, dicens *) „Die Krankheit wird nicht immer durch ein „Verderbnifs der membr. decid. erregt, doch gewöhnlich davon begleitet.“ — Unde vero cervicis uteri prae ceteris partibus major destructio et putredo, quum hic certe non initium morbi? Ad causas, quas cel. Joergius optime invenisse mihi videtur, e. g. vim vitalem evanescentem, quae cervicem uteri quasi remotiorem uteri partem mortificationi magis exponit, ichorem porro a parietibus hic confluentem, qui destructioni favet, adhuc addam: putredinem tardius in parenchymate fundi uteri crasso, quam in tenuiori cervicis, necessario serpere debere; ideoque haud scio, an fallantur, qui in cervice celeriore putredinis progressum statuunt;

*) l. c. p. 218.

uteri segmentum interius praeterea, id, quod certum, tum ultimo graviditatis tempore, tum inter partum magis premitur et laboribus in partum urgetur.

Sub finem adhuc hujus sectionis brevibus admodum verbis de cel. Wenzelii opinione mentionem faciam. In libro supra jam commemorato dicit: „Die membr. decid. tritt schon durch den Moment der Geburt ausser aller organischen Verbindung mit dem Körper der Gebärenden, muß darum nothwendig leblos, auch ohne Putr. d. Uterus gefunden werden. Die Verderbnis der vergänglichen Haut ist also mehr als die Folge ihrer vollendeten Bestimmung und nicht als Ursache oder Folge des putrescirten Zustandes des Uterus zu betrachten. — Contra haec nonnulla mihi monenda videntur. Quamvis cel. Wenzel, — ut constantissime suam servet supra jam communicatam sententiam, qua putrescentiam graviditatis tempore ne interdum quidem erumpere dicit, — nullam habet ejus rationem, quod in graviditate assumi debet; tamen, quoad originem mali post foetus exclusionem, magnam illius opinio relinquit dubitationem. Si enim membranae deciduae, partu finito, organica cum utero conjunctio tollitur, neutquam tamen, quamvis mortua, putrescat necesse est, priusquam fluxu lochiorum expellatur, quippe quum tatis commemoratio in utero usque ad putredinem praeternaturalis esset. Ergo haec membranae deciduae corruptio non ex eo sequitur, quod officium suum jam expleverit. Etsi foetu exluso, conjunctio hujus membranae cum utero organica tollitur, mechanica tamen manet, i. e. cohaerentia laxa. Putredo igitur in sauciis uteri partibus exorta longe lateque serpens, mortua deciduae membranae residua mox invadit, quo rursus putrescentia ipsa latius disseminatur. Ita membranae deciduae corruptio hoc in casu ab uteri utique putredine pendet.

Uteri putrescentiae cognatio cum febre puerperali.

Febris puerperalis, quam sit cuique matri periculosa, omnium fere medicorum, propria experientia edoctorum, testimonium communit. Quo fit, ut multos nosse temporis modicos et parturientium adjuutores in eo vitemus omnium studium atque operam collucemus, ut mai illius natura diligentius tandem, abscidendo delectatur ejusque tollendi remedia quanta certissima conituantur. Quousque enim in delectanda morbi alicujus natura certis carerem principiis, contentum esse oportet sententiis, vel ex periti alicujus practici experientia haustis, (quae tamen non satis accuratae et justae esse possunt) vel ex minus periti combinatione tantum et conjectura depromtis, necdum experientia comprobatis. — Liceat igitur et mihi, quamquam imperito, nec nisi aliena experientia uso, meam de febre puerperali opinionem proponere, eamque ita, ut ejusdem cum uteri putrescentia connexus diligentius indicetur, tractare. Nec est, quod nimis nova sententia mea vel audacior videatur; quippe quam vir illust. Boerius in medium jam produxerit; neque erit aliud quidquam in mea ab illius opinione discrimen, nisi quod ille arctioribus rem limitibus, quam ego, incluserit. — Stat igitur haec mihi quidem opinio; Positam esse graviozem quamque febrem puerperalem in mutata interiorum partium genitalium actione et materia, praesertim in uteri illa, quam alias putrescentiam nominavimus. Quodsi cel. Boerius de hac re sententiam comparamus, meam eadem confirmari, satis manifestum esse videtur.

Sic ille in commemoratione sua de febre puerperali *) „das bei weitem übelste Kindbeufieber ist ohne allen „Zweifel dasjenige, welches mit einem bösartig afficir-

„ten, oder gar putrescirten oder sonst wie alles Lebens-
 „princips beraubten Uterus, oder nur mit einem und dem
 „ändern dazu gehörigen, auf ähnliche oder sonst eine
 „üble Art verdorbenen Theile decurrirt.“

Idem in alio quodam loco*) „die Erfahrung
 „lehrt, daß überhaupt in allen Fällen, wo sich bei
 „einer Neuentbunden ein Depot in dem Unterleibe
 „zusammensetzt, die Gebärmutter, die Eierstöcke, die
 „Trompeten und Mutterscheide, einzeln oder im Zu-
 „sammenhange, wo nicht putrescirt, doch nie in ganz
 „reinem und gesundem Zustande vorgefunden wer-
 „den.“ — Igitur ut dictio illa: „febris puerperalis
 periculosa“ —, qua in sententia mea, supra pro-
 posita, usus sum, accuratius definiatur, haec ei ad-
 jicio: Quaeque febris in puerperio nata et cum ejus-
 modi aliqua humoris lactei accumulatione (Milch-
 stoff-Depot) conjuncta, sive illa in cavo abdominis,
 sive in pectore, sive in capite, sive exterius, ac sub
 forma abscessus aut miliariae, consistat, graviorem
 illam exhibet indolem. — Jam in eo vertitur quaes-
 tio: quibusnam causis efficiatur ista vitae puerpera-
 rum tam periculosa accumulatio? Quum in mulieribus,
 puerperali febris mortuis, peritoneum, intestina,
 omentum inflammata, partes autem genitales, prae-
 sertim uterus (sed extrinsecus tantummodo, ut vide-
 tur) non nisi parum ac leviter affecta invenirentur,
 — practici facile parati esse solebant, morbi hujus na-
 turam ita explicare, ut eam ex illarum partium in-
 flammatione nasci dicerent. Aiebant, extensionem
 abdominis, atque uteri in omnes vicinas sibi par-
 tes factam pressionem partu levare, atque inde ma-
 jorem nasci sanguinis humorumque aliorum adfluxum,
 quem, — mirum in modum — inflammationem simulque
 febrem adducere puerperalem judicabant. — Sed

longe a veritate talis argumentatio abhorret. Nam
 si revera necesse esset, ut partes illae post partum in-
 flammatione semper afficiantur, febris puerperalis
 non minus videretur, quam dolores ad partum, aut
 quam fluxus lochialis, cum quolibet partu conjuncti.
 Docuit praeterea experientia et autopsia anatomica
 (ac testis mihi etiam hac in re clar. noster Boerius)
 et febrem et accumulationem puerperalem etiam sine
 peritonaei, omentique et intestinorum inflammatione
 adesse posse. Quamobrem cum viro tantae celebri-
 tatis in eo libenter consenserim, quod inflammatio
 potius ex accumulatione, quam haec ex inflamma-
 tione sit deducenda; idque propterea, quia in cada-
 veribus accumulatio sine inflammatione, nec unquam
 sine accumulatione inflammatio invenitur. — Nas-
 citur autem mea quidem sententia, etiamsi ex aliorum
 tantummodo experientia comparata, febris puerperalis
 ejusque cum eadem conjuncta accumulatio, hac for-
 tasse ratione: Opus est, ut corpus muliebrem illam ma-
 teriam, alimento inservientem, qua semper abundat,
 durante graviditate ad conservandum foetum adhibi-
 tam, post partum in lactis secretionem consumat. Tum
 vero nascitur pathologica illa systematis sexualis
 affectio, quam, ut inimicam sibi, removeere studet
 natura. Quo autem studio illa naturae, quam col-
 locat in tota muliebri genitalium functione ad pec-
 tus traducenda, opera, sive majori ex parte, sive
 omnino opprimitur. Opus enim sine dubio est mag-
 na corporis vi, ut pars, antea omnino iners, sexu-
 ali nunc functione ad majorem actionem incitetur.
 Muliebri autem naturae jam inest productiva illa
 mutatio, qua succum suum vitalem puerperii tempore
 in talem vertat, qualis ad lac in pectore parandum
 necessaria est, materiam. Quapropter sine dubio
 humor ille lacteus jam multo prius, quam ab ipsius
 pectoris vasibus recipiatur, in toto corpore
 circulatur. Ibi autem nequaquam, aut cer-
 te modo valde imperfecto recipitur, si, quod jam
 diximus, in aegrotis genitalibus sanandis vires quae

*) I. c. T. I. S. 223

consumere debet natura. Materia igitur, incerta quasi et quo se vertat nescia per vasa vagatur absorbentia; deinde in locum maxime affectum adeoque debilitatum se confert, ubi, ingentem in molem accumulata illud, quod lacteae materiae depositum nominatur a medicis, format. Locum autem, ut ita dicam, ejusmodi pathologicum diversae possunt corporis partes praebere. Qui tamen plurimum invenitur in abdomine, quippe cui jam insit totius in systemate sexuali metamorphoseos origo. Jam adest ad juvandum parata natura. Annuntiat enim etiam hic vires vitales adhuc sane affectis partibus opem ferre, unde reactio nascitur totius corporis; febris oritur, quae semper sese tanquam vim medicatricem naturae ostendit. Hac vero ratione actiones in sexuali abdominis regione post partum, quod fieri haud oportet continuantur. Itaque a recta via abducitur natura, seu potius cogitur, ut reproductivam suam, in propagationis negotio vim ad partes genitales adhibeat; quo fit, ut nutriens ille humor, ad praeparandum in pectore lac destinatus, in abdomen derivetur formetque ibi, naturae ordine violato, perniciosam eam, quam pluries jam memoravimus, lactis accumulationem. Nasci vero ejusmodi accumulationem etiam in pectore, in capite, in exterioribus partibus, abscessus vel etiam puerperalis miliariae sic dictae forma indutam, videmus. Quod attinet ad cavum pectoris capitisque, momenta accumulationum ibi nascentium causalia meam ad sententiam ita sunt explicanda, ut statuamus, partes illas, propter imbecillitatem, quae vel jam antea in iis fuisset, vel ex vehementibus ad partum laboribus nata esset, in tanta totius corporis revolutione (quae semper tamen ex periculosa genitalium affectione pendet) prius, quam ceterae succumbere; posse etiam easdem, ut organa sanguine multum abundantia, inflammatione facilius corripri, qua productiva mulieris organismi acido ad interiora trahitur et lactea illa materia has ad partes allicitur. Quum vero membranae serosae laticem suum assidue

exhalent, humorum accumulationem nimis hic augeri apparebit. — Lactis autem in exterioribus partibus abscessus miliariamque, quam vocant puerperalem, naturae conatum esse saluiferum crediderim, quo illud lacti destinatum humorem, qui nequeat in pectus, locum naturae ipsi assignatum, pervenire, qui vero, si diutius in corpore remaneret, vitae foret perniciosus, e corpore studeat remove. — Esse etiam in lactis accumulatione in pectore, in miliaria puerperali et c. affectam semper partium genitalium valetudinem, testatur mihi rursus experientia peritis. Boerii, qui, ubicunque ejusmodi quoddam malum animadvertisset, illas, quas modo memoravimus partes nunquam normali in conditione invenisse sibi videtur. Potest vero hoc argumento esse etiam contra aliam aliorum medicorum sententiam, qui illam in genitalibus mutationem propiori cum accumulatione contactu, nec vice versa accumulationem ex illorum organorum affectione morbosa nasci existiment. Accumulatio enim, si est in pectore, vel in capite, si apparet sub forma abscessus aut puerperalis miliariae, nullus sine dubio ipsius cum genitalibus esse potest contactus, in quibus nihilominus metamorphosis illa animadvertitur pathologica. Praeterea et haec clarissimus Boerius argumentatur*): „Wenn dergleichen Verderbnisse nicht selten von „der Art sind, daß sie unmöglich erst während der „kurzen Krankheit entstanden seyn konnten, so „ist wohl kein Grund vorhanden, diese krankhaften „Affectionen des Müttersystems nur immer als bloße „Folge des Fiebers zu betrachten. Höchstens kann man „sagen, daß einige derselben während der Krankheit

*) l. c. T. II. P. 26.

„vermehr, verschlimmert und nebst den schon bestehenden, andere als Folgen dazu gewirkt haben können.“

Jam vero re ipsa ad eam ducti sumus quaestionem: unde fiat, tot tantique medici in feminarum, febrili puerperali mortuorum, cadaveribus uterum semper sanum invenerint? — Equidem, quidquid ad hoc respondeam, ab egregio nostro Boerio, jam propter tanti viri apud omnes auctoritatem depromo. — Primum quidem illi medici, qualem uterum sanum, qualemque aegrotum dicant, non exponunt. Quod si cogitamus, quantus sit numerus illorum parturientium adiutorum et medicorum, qui uterum statim post partum sanum et normali in conditione invenerint, omnino quidem fieri posse videtur, ut nonnulli uterum, si non esset inflammatus nec gangraenosus, nec laceratus, integrum statim existimarent. Narrat quoque cel. Boerius, se pluries uterum, quem, fundo leviter discisso, alii revera periti sanum et normalem esse dixerint, omnino pathologicè affectum nominasse. Constat praeterea inter omnes, puerperarum mortuorum cadavera non solum a medicis privatis, — si qua ejusmodi iis occasio praeberetur, — sed etiam magnis in nosocomiis aut nequaquam, aut valde neglectim ac leviter aperta esse, quia medici falsa semper opinione obcaecati, aegrotas enteritide, ex sordibus primarum viarum exorta, mortuas esse putabant. Ergo cel. Boerius: „Man sieht hieraus, welches Gewicht man ungefähr auf die Versicherung so mancher Schriftsteller und Aerzte zu legen habe, denen die Gebärmutter in ihren am Puerperalfieber verstorbenen Wöchnerinnen wunderbar Weise immer in reinem Zustande erschienen ist. Ich war nie so glücklich!“ —

Antequam ad aliam rem transeamus, non supervacuum mihi videtur, de febris characterè hic nonnulla addere. Sunt, qui febrem puerperalem temere

febrem nervosam malignam dicant. Quod vix crediderim! Si enim in organismo feminarum non omnino jam evanuerit vis vitalis, haec contra initio adhuc perniciosae putredini organorum sexualium incipienti obsistere valuerit, (nam postea, putredo latius serpens, statum universalem adynamicum rapideque necantem, cum febre sibi respondente conjunctum, producit) febris semper, ut opinor, indolem prae se fert magis inflammatoriam. Huncce autem inflammatorium statum non diuturnum permansurum, imo ad nervosum maximeque perniciosum transiturum, nemo negabit, quod vero ab acerba inevitabile tali necessitate pendet, quomodo destructione organorum genitalium hic status produci debeat. — Tunc tantum, si in graviditate jam internae partes genitales debilitatae statum illum pathologicum incipientem et post partum malum prorsus fere conformatum ostendebant, tunc tantum febris, inquam, cum characterè manifeste nervoso prodire potest.

Quod febrem puerperalem epidemicam attinet, persuasum habeo, contagionem minime ex febris natura pendere, sed multo magis constitutionem epidemicam in organa sexualia parturientium maxime irritata agere illumque statum morbosum in iis gignere, quo mox indirecte febris puerperalis procreetur. Boerius putrescentiam uteri, praecipue tempestate autumnale uvida et frigida aequae, ac febrem puerperalem epidemicam vidit. Magno huic nostro observatori, cum maximo ingenii acumine ad genitalium statum animum adverteret, nova maximeque momenti inventa merito coronam imposuerunt. Alii autem, prioribus imbuti opinionibus, genitalium nullam habuerant rationem. Ita quidem fieri potuit, ut quaecumque in febrili puerperali epidemica contagium quoddam peculiare statuerent, quod, pesti simile, in puerperas saeviens nec debilibus nec firmis parceret.

Omnes has a me prolatas opiniones spero, fore, ut lector humanissimus in optimam accipiat partem.

Nam multum abſti, ut artificioſis rationibus et quaerſito acumine ſententias audacius aſſertas defendere et probare voluerim. Sed quum nonnullorum, praecipue vero cel. Boerii ſcriptis legendis, febrem puerperalem ſemper, quod ſectiones docuerunt, cum magis maximeque momenti mutationibus pathologicis partium genitalium conjunctam eſſe audiviſſem, animum ſubiit cogitatio, num forte et quales in febre illa maligna, quae puerperas ſolum infeſtat, organa genitalia agant partes. — Quid autem hac de re mihi cogitatione et comparatione ſinxiſſem, eo magis auſus ſum patefacere, quum ſimile aliquid cel. Boerius in medium jam protulerit. Ille honoratis. in opere ſuo *)), ut ſententiam ſuam vindicet, hac de re ita locutus: „Vielleicht hege ich über alle „diese Dinge eine Meinung, die bloß deshalb, weil „ſie neu und nicht im heutigem Geſchmacke iſt, nicht „den Beifall der meiſten Geburtshelfer und Aerzte „erhalten wird. Indeß habe ich Natur und Erfahrung „auf meiner Seite und dieſes Bewußtſeyn gilt „mir mehr, als alle gelehrten Opiniones pro et „contra.“

Aetiologia.

Ex antecédentibus jam elucebit, in hoc capite tantum de cauſis remotioribus ſermonem eſſe, quum antea ſub titulo: notio morbi — de cauſa proxima mentionem fecerimus. Quod ad cauſas vero remotas attinet, morbum noſtrum excitantes, aequae occultas ac ipſam proximam deprehendimus. Quidquid medici, ingenii acuminis excellentes, de his exiſtimaverint, ad hoc uſque tempus praesumptionis tantummodo ſpe-

*) L. e. p. 225.

ciem prae ſe fert, quippe quum experientia ubique nondum confirmetur.

Praedispositionem hujus morbi conſtitutio corpóris laxa torpidaque continere videtur, qua non ſolum partes ſolidae, ſed etiam humores labefactam exhibent vitalitatem, quo fit, ut ad mutationem pathologicam procliviores reddantur. Diathesis ſcorbutica, e. g. vel, ut Wenzelius recte monet, ſtatus jam ante graviditatem phthiſicus, tantam certe excercet inter gaſtationem vim, ut uterus, viribus ovulo jam impensis, magis ſemper magisque vitalitate, ad incolumitatem ſuam maxime neceſſaria, privetur demumque in puerperio putredine corripiatur. Quam uteri debilitatem, ſi jam ante partum magnopere augetur, foetus mors et abortus ſequitur. Tum vero forſan uterus perfectam putredinem facilius effugiet, quum, non tam diu organiſmi viribus graviditate conſumptis, natura medicatrix levioſorem uteri morbum tollere valeat. — Sic autem et valetudine infirmiori, foetus permagnus, nedum gemellorum graviditas, vim uteri vitalem exhaurire poſſunt, ut, partu peracto, putredo in conſpectum veniat. — Cauſae hujus morbi occasionales non ſolum peculiari vitae ratione, ſed etiam e certis quibusdam tempeſtatis conditionibus pendent. Sic celeb. Boerius et Joergius morbum ſaepe in iis obſervabant, quae curis, ſollicitudine atque inopia adiectae, in malis humidisque domiciliis per totam graviditatem miſerrimam agerent vitam. Itaque morbus noſter ſaepe in plebe, gravidisque extra conjugium, quam in nobilibus et matrimonio junctis, quae graviditatem non timebant, conſpicitur. Eodem modo frigida, ſimulque uvida tempeſtas, autumnalis praecipue, morbum excitare videtur, eaque poſſimum ex cauſa, quia genitalia tam aperte collocata, appulſu aeris frigoriſque facilius afficiantur. Quamobrem omnes parturientes puerperaeque valetudine imbecilliores hortamur, ut ab omnibus venti meatibus, praecipue autem in latrinis,

quam maxime cavéant. Quántam vim noxiam flatus repentini exserant, experientia quotidiana docet. — Periculosum hunc morbum in nosocomiis tantum epidemicum conspici, ut majores credebant, omnium observatorum experientia refellit. — Boerius in iis, quae jam dolores praesagientes sentiebant et ex urbe in institutum obstetricium deducebantur, saepenumero malum observavit nostrum. Contra vero et epidemice in nosocomiis morbum saevite, cel. auctor noster non negat.

P a r s t h e r a p e u t i c a .

P r o g n o s i s .

In morbo tam obscuro et insidioso, quem tunc, quum periculum mortis minatur, saepe cognoscimus, prognoseos omina certe pessima videbuntur. Quodsi medicus cum aliqua confidentia dicere petuerit: Ecce uteri putrescentiam! — tum certe etiam praesagiet: mortem esse inevitabilem! — Talis rerum status, cum exitus hic certus semper sit et sibi constans, omnem prognosin quasi irritam reddit. Joergius e. g. ut ejus fert opinio, omnes, hoc morbo correptas, diem obire, tantumque forsitan minore in gradu naturae vim victoriam adipisci, (quos quidem casus ob absconditam morbi conditionem medicus plerumque negligit) aperte confessus est. — Periculosissima symptomata, quae cel. Boerius inter mortem maxime significantia praesertim numerat, haecce fore sunt: Convulsionés, quae in tenellis individuis animadvertantur, celerrimam praesagebant mortem. — Si fe-

bris paroxismus magno cum frigore ingruit, mors non longe abest et paucae tantummodo tertium sustinent paroxysmum. Flocci albi atque tenaces, cum faecibus copiose excreti, malum semper indicabant exitum. Non minus erat periculosum, si aegrotae facile negotio vomere poterant, aut si per vomitum alvique dejectionem ascarides lumbricoides ejiciebantur. Obstructione contra omnia remedia manente, tertio jam die mors supervenit. Ita maculae colore cuprino in brachiis femoribusque modo evanescentes, modo regredientes, malum gravissimum obitumque sine spe salutis significabant. — Quanti omnia haec symptomata sint momenti, experientia quidem adhuc est probandum, cum nonnulla certe interdum fortuita esse minimeque semper proximam indicare mortem, videantur. — Decenniis aliquot peractis fore, ut lux clarior huic rei affundatur speramus!

C u r a .

Quam inefficacia sint omnia remedia periculo-
so tali in morbo, certe jam e rapido ejus decursu, ubi quodque auxilium nimis sero adfertur, satis elucet. „Nur der Symptomen- Arzt, ut praecclarus inquit Boerius*), bleibt getrost und selbstgenügend bei „seinem Schlendrian; denn nichts kann ihn aus „der Fassung bringen, so lange es gegen Fieber „und Hitze Lanzetten, Salzmixturen gegen schmutzi-

*) l. c. p. 311.

„ge Zungen und Chinapulver wider Entkräftung
 „giebt. — Aber er curirt auch erfolglos Symptome,
 „während die von ihm verkannte Ursache der Krankheit
 „bei den schönsten Aussichten und Versprechungen
 „unangestastet und in fürchterlicher Ruhe das Leben
 „untergräbt.“ — Quamdiu igitur natura morbi ipsa
 non plane est cognita, tam diu et remedia hic adhibita
 parum se ostendunt efficacia. — Priores opinio-
 nes de morbi natura jam ea ex causa desideriiis nos-
 tris non satisfecerunt, quia cura, etsi convenienter
 applicata, semper erat irrita. Hoc perit. Boerius
 jam inuuit, ita disserens*): „Muthmass; man auch et-
 „was Entzündliches, so sind doch die gemeinen anti-
 „phlogistischen Mittel unwirksam. Zu Zeiten mag ein
 „mäßiger Aderlaß nicht ohne Nutzen angestellt wer-
 „den; in vielen Fällen wird man jedoch finden,
 „dafs man sein Zutrauen umsonst darauf gesetzt habe.
 „Ich sah wenigstens Schaden damit anrichten. Ge-
 „linde und nicht lange gebrauchte eccoprotische
 „Arzneien verderben nichts; laßt man sie aber häu-
 „figer fortnehmen, so schwächen sie die Patientin
 „und die Putrescenz wird dadurch befördert. Die
 „antiseptischen Mittel sind unter bedingten Umstän-
 „den zuräglich; ist indeß keine strenge Anzeige da-
 „zu vorhanden, so schadet man damit und der davon
 „verursachte Nachtheil ist selten wieder gut zu ma-
 „chen. Ich habe alle diese Mittel verschiedene Ma-
 „ße versucht, kann aber nach vielfältigem Mißlingen
 „eigentlich nichts zu ihrem Lobe sagen. —“

Secundum eam autem, quam modo protuli, opi-
 nionem, (quaeque etiam ad sententiam cel. Joergii
 propius accedit) de morbi natura, quoad praxin
 congruum mihi videtur, duas illas indicationes, quas

auctor proponit, retinere, quum medico practico duo
 quasi momenta certiora offerant, quibus nixus rationem
 medendi rationalem facilius intelligere potest. 1) Assimila-
 tionem quoque modo emendam viresque totius cor-
 poris augendas; 2) Uteri occurrendum esse putrescen-
 tiae, ut ei reagendi in totum corpus in genere et in
 organon correptum in specie, quantum fieri possit,
 facultas auferatur, simul etiam ut hac re sanitas ei-
 dem restituatur.

Prima indicatio magis refertur ad aestimationem
 temporum in graviditate et illud temporis spatium,
 ubi medicus obscure tantum morbum conijcere potest
 minimeque praedicere pollet: num morbi adventus
 adhuc exspectandus, vel jam praesto sit. Tam quoad
 psychicam quam somaticam rationem therapia
 nec non diaeta praecepta sua hic praescribat, necesse
 est. — Animus, acutissime cum corpore conjunctus,
 statu hilari et laeto semper conservetur, tum saluber-
 rimum in corpus exercebit vim. Metus, moeror
 atque sollicitudines ab omni gravida, praecipue ve-
 ro ab imbecilliori, amoveantur. Quantum fieri po-
 test, hilarentur, nova meliorque vitae conditio prio-
 rem excipiat. — Nec minus corpus est negligendum.
 — Gravidae praesertim aërem circumdantem, cibos
 potusque maximi iis esse momenti, in animo semper
 habere debeat. Aër sit liquidus, nec nimis calidus,
 nec frigidus. Illa frigida simulque nyda temperatura,
 quam saepe in humido miseroque domicilio, palu-
 dosis in regionibus aedificato, conspicimus, in-
 primis nocet. In pura salubrique tempestate corporis
 motus nunquam est negligendus, qui cum desit, sem-
 per et bona valetudo labefactatur. Corpus praecipue-
 que abdomen et extremitates inferiores, a frigore
 sunt defendenda. Braccae igitur quam maxime sunt
 laudandae. Alimenta facile digerenda simulque re-
 creantia esse oportet, ita ut corpus novam accipiat
 vim. Cerevisia bene cocta et, si res patitur, vinum
 generosum, potum exhibet certe non alienum.

*) l. c. Tom. I. p. 207.

Si jam in organo digestionis abnormitates sese ostendunt, medicus remediis leniter irritantibus et resolventibus, aromatico-spirituosis et amaris iis occurrat. — Morbo autem in puerperio jam manifesto, artis medendi multo latius patent officia. Tum certe nulli morae est locus, tum quam celerrime et validissimis quidem remediis secundae nostrae indicationi est satisfaciendum. Quum malum topicum ex universali suam ducit originem, cura quoque totius corporis maximi semper sit momenti. Si cum uteri putrescentia hujus vel illius organi inflammatio est conjuncta, medicus in curatione sua hoc non negligat, quamquam morbis tam contrariis simul mederi, sane difficillimum est. Maxime itaque cavendum, ne uno malo levando, alterum augeas. Hic valet sententia: „incidit in Scyllam, qui vult vitare Charybdim.“ — Inflammatione valde increscente, interna remedia contra eam sunt adhibenda, dum externa ad locale uteri malum removendum agunt. Quae quidem agendi ratio, ut, equidem sententiam Joergii sequens, opinor, magis sedativis et antispasticis utatur remediis, quam antiphlogisticis. Venasesectiones raro prosunt. Emulsiones ex remediis acidum hydrocyanicum continentibus compositae, aptissimae mihi videntur. Cum vero internae inflammationis symptomata desint atque status nervosus universalis cum magna virium defectione conspicitur, tum certe remedia excitantia, quae cura febris nervosae nobis praescribit et volatilia quidem primum, tum permanentia agentia sine omni dubitatione adhibere possumus. Cum porro status accedat putridus, putridae etiam febris remedia cum medicaminibus nervosae coniungantur; sed maximam forsitan vim balnea ex herbis aromaticis aut lotiones vinosae, in quibus herbae imponuntur salutare, exserunt. Topica etiam curatio diligentissime accuratissimeque est instituenda. Jam peritis. Boerius uterum nec firmiter, nec arcte cum vagina conjunctum, ab aliis intestinis et toto organismo adeo separatim esse affirmat, ut

interna remedia nihil fere efficiant. Quare ita ait: „der wesentlichste Theil in der Behandlung dieser, „so wie mancher andern Krankheiten der Gebärmutter, „besteht also in äußerlichen Mitteln und Vorkehrungen von welchen ich einige wider die Putrescenz von vorzüglich guter Wirkung gefunden habe.“ — Atque cel. hic medicus re vera nonnullas, morbo huicce obnoxias feminas remediis, ope instrumenti ab ipso excogitati inductis, curavit.

Variorum autem fluidorum injectiones (quippe quae in uteri cavitate brevi forsitan commorantes, cellerrime emanare possunt) saepe diuque irritae se ei praebuerunt. Tunc demum pulvillos rotundos et plumaceola, linimento ex unguento Althaeae atque electuario Theriaca illita, in uterum ducere periclitabatur. — Horis 56 praeterlapsis loca putrida a vagina nec non ab utero ejusque cervice separata erant et aegrotae continuante suppuratione manifesto convalescebant, aliis interim aliter tractatis mortis succumbentibus. Quae vero ratio, quamvis nonnulli eam rejiciant auctores, mihi neque aliena, neque a re abhorrens videtur. Joergius*) e. g. „die Gebärmutter, inquit, wird „dergleichen Dinge in ihrer Höhle nicht dulden, sie „wird sich zusammenziehen und so viel als möglich „die Verbandstücke auszustoßen suchen.“ — Sed cum uterum putrescentem praecipue internam ejus superficiem sensu carentem atonicamque esse praesumere possimus, irritatio etiam, quam Joergius plumaceolis oriri contendit, nunquam certe perfectam uteri contractionem provocare potest. — Wenzelius**) vero malum hocce externis remediis tolli posse negat et sequentibus quidem verbis: „auf den todten „Theil können auch die kräftigsten Mittel nicht wirken, auch dann nicht, wenn er offen vor unsern Augen liegt.“ —

*) Schriften zur Beförderung der Kenntniss des Weibes u. d. Kindes v. Joerg. Tom II. 1818. p. 21.
**) l. c. p. 51.

Hoc vero cuilibet, vel tironi, patebit. Cuique enim medico res est cognita, remedia externa in sphacelo applicata mortuis jam partibus non novam inspirare vitam, sed tantummodo vitalitatem in nondum mortuis augere, quae quidem agendi ratio faustissimo exitu saepe est probata. Itaque topica remedia eo tantummodo adhibentur consilio, ut sanum uteri parenchyma adhuc magis excitent separationemque putridarum a sanis partibus efficiant, quod etiam in floccis vel frustis latis factam esse Boerius cotendit; cui quidem omnes injectiones irritas esse affirmanti assentire minime possum. Nam si fluidum aptum quoddam siphone subtili atque flexibili pluries in dies immittatur, aegroti corpore inferiori elevato resupina jaceat uterique orificium parva spongia ocludatur, sanitatem, ut mea fert opinio, saepissime certe, restituemus. — Substantia illa fluida injicienda naturam aromaticam et adstringentem, simul vero etiam spirituosam habeat, necesse est. Decocta corticis Chinae, Quercus, Salicis et Cascarillae, radicis Calami aromatici, herbae Serpylli, Absynthii, Menthae piperitae aliaque remedia amara, aceto vinoque permixta, et aqua caldis, quam Joergius commemorat, haud aliena videntur. Acidum quoque lignosum recenti memoria cancrum aquaticum et malaxationem ventriculi, morbos supra a me memoratos, prospero eventu curans, omnem meretur animi attentionem. — Quo major uteri cavitas, eo copiosius latex immitti debet, eoque quidem consilio, ut, quantum fieri potest, tota interna organi superficies ab hoc latice humectetur. — Medicus, internam uteri superficiem ita tractans, etiam extrinsecus in integumentis abdominis morbo occurrere debet, qua ratione per consensum partibus internis vitam restituere itidem valet. — Frictiones volatiles, aromaticae, irritantes, e. g. cum tinct. Cinnamonum, unguento volatili cum Camphora, unguento aromatico et oleis aethereis in spiritu vini solutis optimum habebant effectum. Emplastrum etiam

aromaticum curam multum certe adjuvabit. Porro, majoris irritamenti causa, vesicantia et rubefacientia in auxilium vocare possumus, et tum praecipue, cum jam in abdomine exsudationis formatio incipiat. — Minus prosunt frictiones, abdomini applicatae, cum panno laneo tenuiori (Fanell). — Etiam mammae non sunt negligendae, quo ab abdomine et genitalibus fiat derivatio, exsudatio vero aut prohibeatur aut jam orta tollatur; quam ob causam, ad cutis actionem hisce in partibus salvam conservandam, vesitu frigus propulsante hic nec non in brachiis utendum est. Lactis vero secretionem cessante, fomentationes in pectus calidae, anthliae lac sugentes, vel ad papillas magis protrahendas, suctus infantium sunt adhibenda.

Sic igitur quilibet medicinam exercens omnibus artis suae praesidiis, internis et externis, pro virili parte hocce malum, tantum periculum minitans, oppugnare annitatur. Praemium laboris sit laetitia, quam ex prospero eventu capiet!

THESES DEFENDENDAE.

1. Sepulcra in ecclesiis aedificata efficiunt, ut mortui consumant vivos.
2. Vermes intestinales per generationem aequivocam oriuntur.
3. Ulcus syphiliticum primum remediis solum topicis sanari, magnum praebet periculum.
4. Non nisi duo letalitatibus gradus statuendi sunt.
5. Inter miasma et contagium distinguendum est.
6. Praestat, propria mente errare, quam sine mente oracula loqui.
7. Vita elegantior medico magis opus est, quam theologo.
8. In omnibus corporis morbis curatio psychica utilissima est.
9. Signum hydrothoracis certum existere nego.
10. Febris hydrocephalica et encephalitis eundem sistunt morbum.
11. Crisis non causa est sed effectus valetudinis redeuntis.
12. Semen virile in uterum ingeratur ad conceptionem non necesse est.
13. Chlorosis non a menstruis suppressis, sed a nutritionis functione labefactata, originem petere contendo.
14. Quo plura in morbo aliquo remedia, eo incertior sanatio.
15. Asthma Millari ab angina polyposa vere et, quod dicunt, essentialiter differt.

16. Medicamenta simplicia preferenda sunt compositis.
17. Nulla sunt certa graviditatis signa.
18. Pulsus valde incertus febris index.
19. Nullum ubique certum mortis signum, nisi putredo.
20. Medicus felix, ideo non medicus probatus.
21. Crusta inflammatoria, quae dicitur, non certa est inflammationis nota.
22. Melius est, anceps auxilium experiri, quam nullum.
23. Therapia in typho, quo simplicior, eo opportunior.
24. Aneurisma verum haud existit.
25. Pulmones in aqua natantes foetum jam respirasse non probant.
26. Fractura cranii simplex trepanationem non postulat.
27. Signa virginitatis omnia fallunt.
28. Medicamentum medicamento substitui non potest.
29. Foetui, si mater gravida ad aspectu alicujus rei nimis commoveatur, vitium inferri posse, non est negandum.
30. Omne animal temperamento praeditum.
31. Hydrops generatim et hydrothorax in specie symptomata sunt, non morbi.
32. Nymphomania est morbus animi.
33. Nullum medicamentum, diaeta repugnante, morbum curat.
34. Homo a natura ad monogamiam est destinatus.
35. Vita mortis esse causam, contendo.
36. Omnis febris salutem hominum molitur.

37. Dictum: *cessante causa, cessat effectus, falsum est.*
38. *Frigus non est defectus caloris.*
39. *Morbus est certamen naturae, suam salutem defendentis.*
40. *Una cum semine vitae foetui semen mortis datum.*
41. *Hominem, a cane rabido paulo antea morsum remediis curare internis superfluum est.*
42. *Rabies canina et sanari et averti potest.*
43. *Dolor vitae custos, sed sedes doloris non semper sedes morbi.*
44. *Morbi pandemici, ut gentes, oriuntur, crescunt, vigent, decrescunt et evanescent.*
45. *Perpauci mortem suam non maturant.*
46. *Omnia omnino balnea, tum frigida tum calida, inter menstrua dubii sunt effectus.*
47. *Fractura colli ossis femoris intra ligamentum capsulare nunquam sanescit.*
48. *Febris puerperalis causam proximam metastasis lactea non sistit.*
49. *Hydrophobiae causam proximam in neurylematis inflammatione esse, contendo.*
50. *Quaeque febris nosocomialis hominibus est decori.*